ΣΥΖΥΤΗΣΙΣ MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCORBUTO.

Hanc

SUPREMO FAVENTE ARCHIATRO,
indultu & autoritate
gratioſi Senatus Medici in florentisſima SALANA,
SUB PATROCINIO
VIRI
EXCELLENTISSIMI
DN. GUERNERI ROLFINCII,

Philoſophiæ ac Medicinæ Doctoris celebratisſimi, Therapeutices & Chimiæ Prof. Publ. famigeratiſſimi, Academiæ Senioris graviſſimi,
Dn. Patroni, Promotoris ac Doctoris ſui vitam colendisſimi,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES, DOCTORATUSQVE PRIVILEGIA ET INSIGNIA SOLENNI AC LEGITIMO MODO CAPESSENDI,
publicæ Ἰατροσοφῶν *ventilationi offert*

JOHANNES LAURENTIUS LOËLIUS,
RÖKINGA-FRANCUS.

In Acroaterio majori
horis pro- & pomeridianis,
Die *Julii, Anni* cIↃ IↃ c LXVIII.

JENÆ, è Chalcographéo JOHANNIS NISI.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN.
JOHANNI FRIDERICO,
MARCHIONI BRANDENBURGENSI ET MAGDENBURGENSI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM, CROSSLÆQVE ET CARNOVIÆ DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI RUGENSI, HALBERSTADIENSI ET MUNDENSI, &c.
PRINCIPI AC DOMINO SUO
AUGUSTISSIMO,

Inauguralem hanc Συζύτησιν
medicam

ſubmiſſa animi devotione
conſecrat
Sereniſſ. Ejusd. Celſitud.
humillimus cliens
JOHANNES LAURENTIUS LOELIUS.

Σὺν θεῷ, τῷ Ἰατρῷ Χριστῷ!

PROOEMIUM.

Μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγεία τέλεθε πάντα,
Καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, σέθεν δὲ χωρὶς
οὔτις εὐδαίμων.

O beata Sanitas, te præſente amœnum
Gratiis ver floret, absque te nemo beatus.

EGregium hoc Sanitatis encomium nunquam intermorituræ ſeculorum memoriæ conſecravit olim *Amphio Siconius* apud *Athenæum libro ultimo* δειπνοσοφ. Etenim, quid ſvavius? quid præſtantius? quid optatius ſanitate ac vitæ hujus incolumitate nobismet eſſe poteſt? Profectò, optimum condimentum, verba ſunt *Plutarchi libro ultimo de tuendâ valetudine*; ſanum corpus eſt. Hinc & unanimes omnes, nihil magis deſideramus, nihil exoptamus, quàm ut ſit mens ſana in corpore ſano. Hâc florente & vigente nulla res carior & charior, exceptâ animæ pretioſo Chriſti ſangvine redemptæ ſalute, hominibus exiſtit. Hâc patiente ac dolente, nulla rerum omnium gratia habetur accepta. Perpulchrè *Syracides cap. 30. verſ. 14. 15. 16.* Potior eſt pauper ſanus & benè valens, quàm dives affecto corpore. Sanitas „ & Incolumitas præſtant omni auro, & valens corpus immenſis „ opibus. Nullæ divitiæ meliores ſunt ſanitate corporis, nec „ ulla voluptas major lætitiâ animi. Et *Auſtrius Albertus*, cùm „ aliquando à quodam interrogaretur, quæ jucundiſſima homi-

nis poſſeſſio eſſet? optimè reſpondit: Sanitatis, cujus theſaurus tàm pretioſus, ut quidvis potiùs perpeti debeat homo, quàm eum eripi ſibi ſinat. Inde breviter, ſed eleganter ac accuratè admodum judicavit ingenioſiſſimus ille *Venuſinus, Lyricorum ferè omnium princeps, Horatius lib. 1. epiſtolarum ita ſcribens:*

Si cordi benè, ſi lateri, pedibusque, tuis, nil
divitiæ poterunt regales addere majus.

Et omninò rem ità ſe habere indies ab ægrotis, & à morbis reconvaleſcentibus, tanquam hæc expertis, comperimur omnes. Hæc enim ſanitas, ajunt, ſola eſt, quæ Croeſi divitias & auriferi Tagi ac Pactoli arenas contemnit & reſpuit. Hæc, hæc eſt, præ cujus abſentiâ immenſæ facultates, ſumptuoſa ædificia, ampla longèque exporrecta jugera, ambitioſi tituli &c. ſordeſcunt; imò hæc ſola exoptatiſſima felicitatis humanæ pars eſt, è quâ unâ omnia reliqua mortalium bona, eam quam habent gratiam & dignitatem mutuari videntur.

Dolendum verò, & deplorandum eſt eò vehementiùs, quò negligentiùs pretioſum & amabilem hunc theſaurum, ac optimum DEI donum, omnium ſuprema & perfectiſſima hominis ſpecies, quæ & ſupra hæc omnia mentem, divinum munus, à Diis immortalibus (ut *Thom. Moreſinus libr. de metall. cauſ. & metamorph. p. m. 92.* loquitur) conſeqvuta eſt, curat & tuetur. Certè, vix unus in tantâ hominum multitudine feliciſſimam ejusdem præſtantiam ſibi accommodat; imò, omnes potiùs

nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata.

Et dum nulla ſanitatis habitâ ratione optuma diætæ præcepta negligimus, atque ſic, poſthabitô quovis vitæ regimine, ſanitatis ſtationem deſerimus, in innumerabiles incidimus morbos. Olim quidem, *referente acutiſſimo & ſagaciſſimo morum magiſtro Seneca, libr. 15. epiſt. 96. ad Lucil. p. m. 233.* „immunes „erant ab iſtis malis, qui nondum ſe deliciis ſolverant, qui ſibi „imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure „verſata: excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non

non poterat. Hodiè verò, quantum quæſo rerum per unam „ gulam tranſiturarum permiſcet luxuria, terrarum marisque va- „ ſtatrix. Neceſſe eſt itaque inter ſe tàm diverſa diſſideant, & „ hauſta malè digerantur, aliis aliò nitentibus: Nec mirum, „ quod inconſtans, variusque ex cibo & potu diſcordi morbus „ eſt, & illa ê contrariis naturæ partibus in eundem compulſa „ redundant. Breviſſimis, multa fercula hodiè fecerunt multos morbos, luxuriæ ſupplicia, quæ nos toties mori jubent, „ priusquam mori liceat.

Et tot autem morborum myriadibus, quibus tenerrimum homunculi corpuſculum, pulcherrimum illud ſapientisſimi conditoris opificium, non aliter ac rex ſuis ſatellitibus, comitatur, non ultimum ſibi locum vendicat SCORBUTUS, verſutiſſimus ille Protheus, atteſtante *Joh. Mich. Fehr. tract. de hierâ picrâ p. m. 134.* malum grave & calamitatis plenum, *Eugal. lib. de Scorb. p. 5.* morbus expaveſcendæ turpitudinis, *Joh. Lang. libr. 1. Epiſt. 42.* & non tàm lethalis, quàm fœdus & contagioſus, *Levin. Lemn. Libr. 2. de occult. nat. mirac. cap. 14. p. m. 174.* quin morbus quibusvis ægritudinibus triſtior, *Olao Magno libro 9. de gentibus Septentrionalibus, cap. 38.* qui ſub neſcio, quô fucô & mentito ſchemate.

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,

& hominem inexplicabilibus ſymptomatibus enervat ac emaciat, ſicque interdum etiam peritiſſimos medicos decipit, adeò, ut quid primùm aggredi, & quid poſtremùm tentare debeant, vix noverint. Et licet quidem teſtudineo gradu nos morti immolet, æquè tamen cuivis creaturæ moleſtum eſt, vinculo teneri mortis, & morbo temporis ſucceſſu incurabili. Cuilibet ſanè gratior eſt cœna ſub odoriferâ ac vireſcenti tiliâ, quàm ſub taxo aut triſti cupreſſo. Natura enim ab interitu maximè abhorreſcit, ejuſdemque acceſſum omnibus viribus antevertere allaborat.

Hæc omnia cùm mecum volverem ac revolverem, non contra rationem putavi, ſi portentoſam ac graviſſimam hanc luem inauguralis ac ſolennis diſſertationis loco, decreto &

autoritate gratioſisſimæ Facultatis Medicæ, hâc in florentisſimâ ad Salam Academiâ, publicæ ἰατροφιλῶν cenſuræ ſubmitterem & exponerem: certò confidens, ſi in hujus indagatione & explicatione parùm hallucinarer, facilè apud candidum lectorem me veniam impetraturum, præſertim, cùm nullus ita indolis ſemper ſit evectæ ac excelſæ, quem non aliquando error ſeducere posſit. Tentabo ergò, quid valeant humeri, & quid ferre recuſent. Intentio bona tutisſimus erit portus navigaturo mihi inter Syrtes.

Antequam verò hoc fiat, omnium Medicorum Philoſophorumque primi (ut Hippocratem ſalutat *Sebaſt. Paparella, libr. de efficiente primi Motoris in rerum naturalium omnium factura p. m. 103.*) libro *de naturâ mul. p. m. 225.* relictum nobis obſervatu dignum eſto. Δεῖ δὲ τὸν ὀρθῶς ταῦτα χειρίζοντα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν θείων ἄρχεσθαι. *Oportet eum, qui hæc tractare velit, à DEO ordiri.*

Faxit itaque Ter-glorioſisſimus medicinæ ſacræ conditor, & potentisſimus morborum omnium domitor, JEHOVA, ut omnes, tàm præſentes, quàm ſubſequentes laborum noſtrorum progresſus in ſanctisſimam ſanctisſimi nominis ſui laudem ac gloriam, proximi lectulo affixi ac ægrotantis gratisſimam ſanitatem ac longævitatem, meæque ipſius tandem ſalutis propagationem vergant ac cedant.

CAPUT I.

De morbi nomine, ejuſdemque deſcriptione.

QUamvis ſcrupuloſisſima ὀνοματολογίας tractatio neminem unquam teſte *Foreſto libro 10. ſchol. obſerv. 53.* ſervarit, ægrique ipſi non ſpeculantem, ſed curantem medicum exoptent, *Oth. Brunfelſ. in loc. commun. tot. rei med. p. m. 138.* & omnis morbi recta curatio non ex nominum, ſed ex rerum rectâ opinione, ſecundùm maximum medicorum Pontificem

Gale-

Galenum, (quem ſic jure honorat *exercit. 61. p. m. 223.* ſubtiliſſimus *Scaliger.*) *libro meth. med. 1. f. m. 843.* proveniat, imò idem ipſe illos, qui de nominibus laborant, prorſus operam ludere exiſtimet, *libro 3. de differ. pulſ. f. m. 534.*; de nomine tamen, ne Deam iratam habeamus Erida, pro uſitato ac conſveto more paucisſimis agemus.

Dicitur autem hic affectus hodiernis Medicis Scorbutus ſeu ſchorbutus, mutuatô nomine à Belgis, quibus audit Schoorbuick; procul dubiô, ab effectu, quia magnos cruciatus ſævisſimaque ventri tormina infert. Danis nominatur Schörböck. Saxonibus Schürbück / Schorbock & Scharbock. Nonnulli, ſi gingivas erodit, exulcerat, denteſque ſic laxos & vacillantes efficit, Schormund; ſi verò crura, Schorbein; ob exortas autem maculas puniceas Blauſchyut vel Blauſchwitt/ referente *Roder. à Caſtro libro de morb. mulier. cap. 23. p. m. 306. 307.* appellitant. A *Regneto Snoy* clarisſimo, (ut *Bilenburgius in epiſt. ad Echthium* ſcribit) Medico, & *Dav. Cruſio libro 2. theatr. hermet. cap. 4.* Gingipedium, & quia brachia quoque afficere ſolet, Gingibrachium, ſecundùm *Foreſtum libro 20. obſerv. ſchol. 11. p. m. 301.* vocatur. Germano idiomate non incommodè, judicante *Petræo in noſologia harm. p. 2. diſſert. 38. §. 2.* Schorbein nuncupari poteſt. Ab *Olao Magno in hiſtor. de gentib. Septentr. libro 16. cap. 51.* ad morbos Caſtrenſes, die Soldaten Kranckheiten/ refertur.

Alii Stomacaxiam, quaſi στόματος κάκην ſeu κακίαν, die Mundfäule ſalutant, quia plerumque gingivas erodere, exulcerare, oriſque partes fœdiſſima putredine dilaniare ſolet. Inde & medicamina huic appropriata ſingulari nomine, στοματικὰ φάρμακα ſcilicet, gaudent. *Joh. Gorræus in defin. medic. libro 18. f. m. 433.*

Alii, & quidem non infimæ notæ medici Plinianam στομακάκην ſeu σκελοτύρβην, *libr. 25. hiſtor. natur. cap. 3.* deſcriptam, eſſe opinantur. Vide *Joh. Gorr. defin. medic. libro 18. f. m. 419.* Verùm, an fonti, quod *Plinius*, & ex illo *Andreæ Corvini Fons Latinit. bicornis*, à *Joh. Georg. Schledero* auctus, *p. m. 182.* vult, è quo milites Cæſa-

ris Germanici biberint, culpa ἀπλῶς ſit adſcribenda, meritò dubitatur. Credibilius forſan & probabilius eſt, è contagio, & pravâ militum victus ratione, hoc malum originem ſuam traxiſſe, & ita in caſtra irrepſiſſe. Endemius enim hic morbus illi loco & finitimis eſt, de quo etiam prolixiùs infrà.

Q. Seren. Samonic. cap. 14. de medicinâ. p. m. 7. & *Marcellus*; (ut refert *Junius in nomenclatore*) oſcedinem nominant. His autem contrarius eſt *Ronſæus libr. de magn. lien. cap. 2.* cum *Gellio, libr. 4. cap. 20.* ſtatuens, ſæpisſimam oſcitationem ità dici. Verùm, ſi veritatem fateamur, lis ſaltem in nomine hæret, quippe cum quo Seren. Marcellus & Gellius quidem conveniunt, reipſa verò multis paraſangis à ſe invicem differunt, quod & Medicamina à Sereno d. l. & Marcello *cap. 11. de re Medica*, Scorbuto & gingivarum eroſioni, non autem oſcitationi, accommodata, uberiùs evincunt.

Quidam Icteri nigri ſeu μέλανος ἄλφȣ ſpeciem, cum *Galeno 3. de Symptom. cauſ. cap. 5. f. m. 687.* eſſe autumant; quia, ut in hoc, ita & in Scorbuto, non ſolùm maculæ in corpore ſenſim efflorescant, ſed & totum corpus quandoque lividum reddant. Vide *Levin. Lemn. de occult. nat. mirac. cap. 17. p. m. 120.* Aſt cautè procedendum, ne entia multiplicentur. Licet enim negari non posſit, Scorbutum aliquando cum Morphæa nigra conjungi, non tamen exinde ſequitur, eundem ſemper individuum hujus comitem eſſe, multò minùs hanc ipſam ſpeciem. Confer *Wierum, Echthium, & Ronſæum* prolixè hac de materia differentes.

Sennertus, tract. de Scorb. cap. 1. p. m. 7. Bald. Ronſæus de magn. lien. cap. 2. Joh. Echthius de Scorb. Matth Martini, de morb. meſenter. abſtruſior. p. m. 177. & 193. atque alii multi doctisſimi viri, ſcorbutum ad magnos ſplenes Hippocratis, *libr. 2. de intern. affect. p. m. 216. & libr. 2. prædict. p. m. 422.* deſcriptos, referri poſſe arbitrantur. His autem contradicit *Joh. Wierus p. m. 5. & D. Caſp. Horn, in tract. Germ.* vom Scharbock / eò, quia ſecundum Hippocratem gingivarum eroſio pedùmque exulceratio non ſemper ſimul adſint; ſed tum demum, ubi materia ſurſum fertur, gingivas,

gingivas, ſi deorſum, crura affici; quod tamen utrumque in ſcorbuto.

Verùm, facilis eſt horum clariſſimorum virorum conciliatio. Cùm enim mali hujus ſcorbutici, conſentientibus omnibus, certi ſint gradus, & pro loci ac temporis varietate, quoad copiam ſive pravitatem, variæ cauſæ ac differentiæ, neceſſarium eſſe haut putamus, ut ſemper ſtomacace cum ſcelotyrbe conjungatur; quippe, quòd & experientia verificet, alios ſalvis cruribus os graveolens & gingivas eroſas habuiſſe; alios illæſis gingivis pedum exulceratione laboraſſe; alios verò, ob materiæ copiam & luxuriam non ſolùm utrumque paſſos eſſe, ſed & inſuper totum omninò corpus immaniſſimæ ac inſatiabili huic belluæ pro ſubjecto venditaſſe.

Hûc & ille trahi poſſet morbus, quem *Avicenna libro 3. can. fen. 3. cap. 5.* delineavit. Ita & *Pauli Æginetæ* verba, *libro 3. cap. 49. p. m. 256.* annotata, non parùm pro ſcorbuto pugnant. *Gariopónti* morbus ſplenicus *lib. 5. cap. 2. p. m. 48.* relatus, ex aſſe etiam quoad curam ſcorbuto convenit.

Volvulum Hæmatites à medicornm Parente *libro de intern. affect. p. m. 220.* deſcriptum, *Langius libr. 2. epiſt. 14.* & ex eo *Gregor. Horſtius*, pluresque alii, ob ſigna tàm appoſitè convenientia, planè pro ſcorbuto exponunt. Coi verba ob rei evidentiam adponere volui. *Incipit autem morbus*, inquit, *autumno fieri. Hæc verò in morbo accedunt. Ex ore malè olet à dentibus, & gingivæ diſcedunt, & à naribus ſanguis fluit. Aliquando autem ex cruribus ulcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt. Et color niger fit, & cutis tenuis.*

Hæc omnia, cùm ſcorbuticis exactè quadrent, non levem ſanè ſuſpicionem excitant, ſcorbutum ſub hâc idea ab Hippocrate fuiſſe depictum. Et licet quidem *Wierus & Ronſæus*, ob verba ſubſequentia, πρὸς φοιτῆν καὶ ταλαιπωρέειν πρόθυμος (quod interpretes ſic verterunt, *eſt autem ad deambulandum ac laborandum promptus*) hoc negent, quia contrarium potiùs ſcorbuticis accidit. Credere tamen, ob excellentium virorum

quorundam adſtipulationem, nequeo, verba recitata cum genuino Hippocratis textu convenire, utpote, quibus & inſuper ratio & demonſtratio obſtat. Etenim, quomodo ad deambulandum prompti eſſe poſſunt pedes ulceribus affliƈti? Aberrare itaque illos minimè à via puto, ſed potiùs eorum partes teneo, qui οὐ πρόθυμος (ut ſenſus hic eveniat, *ad deambulandum & laborandum non promptus*) legendum eſſe, exiſtimant. Confirmant etiam hæc ipſa Senis verba, dum in deſcriptione hujus morbi ſtatim ab initio ſcribit: *Reliqua quidem eadem patitur cum prioribus.* Meminit autem in prioribus, *de crurum gravitate*; & ſi obambulent ægri, *tremore*; & ſi ad acclivem locum iter faciant, *vehementi anhelatione.* Quæ ſanè omnia, ſi huc trahantur, promptitudinem in deambulando adeſſe nullam, clariſſimè evincent. Stamus igitur, ut modò diƈtum à latere *Celſi, Anthonii Foeſii* aliorumque, qui particulam negativam hoc in textu omiſſam eſſe, ſtatuerunt. Vide *Remb. Dodonæi ſchol. in obſerv. medic. cap. 33. p. m. 88.*

Ex hiſce autem procul dubio illi anſam acceperunt, qui de hujus exiſtentia ac origine diſputarunt, & etiamnum disceptant, ipſumq; affeƈtum pro novo præteritis ſeculis planè incognito, cum *Joſ. Quercetano, in peſte alexic. cap. 1. p. m. 10.* cenſent.

Sed quoad prius; Nobis, cum magnum intereſſe non poterit, perinde eſt, ſive quis cùm *Strabone* circa finem *libri 16. Geograph.* eum, cum aliis duƈtum ſequentibus morbis, caſtrenſibus Auguſti temporibus, irrepſiſſe ſtatuat: vel cum *Sennerto libro 3. praƈt. medic. ſ. 2. cap. 1. p. 5.* jam dudum eum viguiſſe dicat; vel cum *Platero* credat, illum è regionibus exteris ad loca maritima translatum eſſe; modò illum dari perſvaſum habeat, atque ſic in curatione nobiſcum conveniat.

Quoad poſterius, cum illis ſentimus, qui morbum planè novum non eſſe, ſed multis retrò ſeculis cognitum, affirmant. Vide *Zeiler. cent 3. epiſtol. 92. p. m. 642. D. Gotfr. Olearii Halygraphiam topochronologicam, part. 2. p. m. 215. M. Andr. Angeli annales Marchic. p. m. 253.* Cyriac. Spangenberg *in Chron. Saxon. cap. 342. Alb. Cranz. in Saxonia ſua, Euric. Cord. in ſuo Botanologico. &c.*

Imò Centurionis Capernaitici famulus, cujus ſacræ litteræ *Math. 8. v. 6.* memoriam poſuêre, tragœdiæ hujus veriſſimos præſentat luſus, quippe, quem nullatenùs verâ, ſed ſcorbuticâ paralyſi laboraſſe, intolerabiles ferè cruciatus ac dolores, quibus detinebatur ille; Capernaique ipſius ad mare ſitus, quemadmodum è *cap. 4. v. 13.* ejusdem Matthæi pateſcit, verè arguunt. Legè *Möllenbrocc. de Variis tract. praloqu.* De patientiſſimi *Hiobi* affectu quæ ſit mens doctiſſimi Jeſuitæ *P. Pinedæ*, apud eum videre licet.

Quòd autem ſuam formam, ſuumque morem non parùm hactenus mutaverit, in tantam majorem nequitiam ſurrexerit, ac tàm latè ſe ſparſerit; temporis potiùs diuturnitati, ſoli ac poli varietati, ipſorumque hominum luxuriæ ac peſſimæ diætæ adſcribendum eſſe, putamus.

His jam præcognitis ac præmiſſis, properamus ad ipſam morbi deſcriptionem, quæ meritò ἀρχὴ πάντων habetur. Quia verò admodum difficile videtur, una & perfectâ definitione hujus morbi naturam protheam exprimere, ejus aliqualem ſaltem, non quam volebamus, ſed quam poteramus, hîc deſcripturi ſumus. Eſto proinde

SCORBUTUS *maligna & occulta totius corporis diſpoſitio, in viſceribus, primæ & ſecundæ coctioni addictis, ab humoribus ſalinis, feculentis, craſſis, viſcoſis & peculiari modo corruptis, exorta, ac graviſſimis & ferè innumerabilibus ſymptomatibus conjuncta.*

Datam hanc delineationem diligentiùs aliquantò examinaturi, & ad trutinam medicam ponderaturi, præprimis de *genere* ſolliciti ſumus; utpote cujus ope rei eſſentia maximè exprimitur ac declaratur.

Diximus autem, quod ſit maligna & occulta diſpoſitio; ſequuti Magnificum Dn. D. Præſidem, Præceptorem ac Promotorem noſtrum obſervantiſſimè venerandum, in *epit. meth. cognoſc. & curand. affect. corp. part. p. 150.* Et haut abs re: Simplex enim affectus non eſt, ſed complicatus, & curandi difficultas morbi malignitatem ac perniciem docet, ut rectè prodidit *Fernelius libr. 2. de abdit. rer. cauſ. cap. 14. p. m. 230.*

Atque licet nonnulli ſuas hîc ſectentur opiniones, quas

etiam captant, velut aureum vellus Jaſon; nobisque illud ſagaciſſimi *Galeni 3. de præcogn. ex puls. cap. 5. f. m. 599.* objiciant quòd ſcilicet hoc ipſum docendo, nihil doceamus. Fruſtrà tamen Nos eludere conantur. Omnia enim ad manifeſtas deducere qualitates, ſummam eſſe impudentiam, jam longè *Scaliger in exerc. 218. ſ. 8. p. m. 697.* detexit. Veriſſimè Poëta:

Multa tegit ſacro involucro natura: neq; ullis
fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia: multa
admirare modò, nec non venerare: neque illa
inquires, quæ ſunt arcanis proxima; namque
in manibus quæ ſunt, hæc nos vix ſcire putandum;
Eſt procul à Nobis adeò præſentia veri!

Quin ipſo *Galeni* gladio, qui nobis magis, quàm illis favet, Adverſarios noſtros jugulare poſſumus. Reprehendit enim, *libro 11. de ſimpl. medic. facult.* ſatis graviter præceptorem *Pelopem*, quòd omnia ad manifeſtas reducere qualitates laboraverit. Et *libro 1. de nat. facult. Epicurum & Aſclepiadem* inducit: qui, cùm hæc negaſſent, rationes ineptas ridiculas deferebant, quas & ſola experientia vanas & vacuas exponebat.

Sed tranſeant. Negantium verba non ſunt oracula. Multa dicuntur, pauca probantur ab iis. Contentionis ſerram operosè hîc non trahemus. Emunctioris qui naris eſt, facilè ſubodorabitur τὸ θεῖον, malignam ac occultam hujus morbi diſpoſitionem, quæ, non ſolùm actionum ſpecie differentium læſione; ſed diverſis etiam læſionum ſpeciebus, quæ ſubitò vires proſternunt, & mortem præter omnem ſpem adducunt, conſtat.

Deplorandum igitur eò magis hoc malum eſt, quò minùs à nobis hâc in mentium caligine cognoſci poteſt. Interim optamus cum *Euripide*, ut res ipſæ cum hominibus colloqvantur, & ſe, quales ſint, explicent, ut procul amandentur artificioſi ſermones. Hoc enim pacto, conſentiente *Galeno libro de ſimpl. medic. facult. cap. 2. f. m. 1022.* nihil ambiguum unquam aut anceps foret.

Hîc non prætereundus *Bald. Ronſæus p. 15.* cum ſuis Aſſeclis, qui reſolutioem generis locô ponunt; Et *Henric. Petræus* cum aliis, qui cachexiam eligunt. Etenim, cùm veritati, Lu-

cifero ac Heſpero longè clariori ecclipſin indicent, & præterea, quælibet definitio ſuo definito anguſtior eſſe non debeat, non poſſumus non exiſtimata hæc genera omni jure rejicere. Veri enim & proximi generis naturam habere nequeunt; quia non ſemper in ſcorbuto nervorum reſolutio; nec & cutis muſculoſarumque partium depravata nutritio adeſt. Quod, quemadmodum negari non poteſt; Ità & ab horum opinionibus tantùm ſemper abeſſe volumus, quantùm ara Alexandri à columnis Herculis.

CAPUT II.

De Subjecto.

Fracto nunc cortice, rei nucleum aggredimur. Sunt autem de Subjecto hujus mali tot ferè ſententiæ, quot capita. Nos, ut eò tutius & feliciùs hanc periculoſiſſimam variarum opinionum charybdin evitemus, diſtinguere volumus inter ſubjectum morbi ac cauſæ, ſeu quod idem, inter ſedem & fontem hujus atrociſſimi morbi; & qua unicâ rectè adhibitâ diſtinctione, ſecuri de naufragio fortè erimus.

Eſt verò morbi ſubjectum ſeu ſedes totum corpus, cum omnibus & ſingulis partibus, principalibus ac minus principalibus. Hîc ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, *confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia. Hippocr. libro de alim. p. m. 129. Galen. libro 2. de cauſ. pulſ. f. m. 564.* Communi hoc jugo trahunt omnes, præſertim, ubi vires acquiſivit, & ulteriùs progrediendo radices quaſi poſuit. Nullius certè hîc reſpectus habetur, nullius demùm excluſio. Sed una omnium, eademque ſors ac fortuna. Et licet forſitan hæc non cuivis ad palatum, cum verborum hi globuli pariter amariſſimi ſint: Nemo tamen, qui ſanioris mentis eſt, & cui de meliori luto præcordia finxit Titan, inficias ire unquam audebit.

Subjectum cauſæ ſeu fons hujus mali ſunt viſcera primæ & ſecundæ coctioni addicta, quippe, quibus depravata hæc diſ-

 poſitio

poſitio non tantùm primò imprimitur; ſed & originem ad cæterorum infectionem præbet.

Primum itaque locum obtinet Ventriculus, à Veteribus, ut *Caſp. Bartholin. in inſtit. anatom. cap. 9. libro 1. p. m. 53.* refert, CORDIS nomine inſignitus: aliàs verò *μέγας ὁ δὲ τοῦ μικροκόσμου σιτάρχης, καὶ πεπτήριον σπλάγχνον, magnus rei annonariæ præfectus, primæ coctionis officina*; quatenus nimirum, vel ob errorem externum, vel ob internum, cibum aſſumptum, dentibus maſticatum, ac ſalivæ mixtione aliquatenus alteratum, in ſuccum cremori ptiſanæ ſimilem & albicantem elaborare nequit. *Τὰ μὲν δὴ πρῶτα*, inquit *Galenus* vir omnis literaturæ ſcientiſſimus, mortaliumque diligentiſſimus, *3. de ſymptom. cauſ. f. m. 683. γένη τῆς ἀποτυχίας εἰσὶ τὸ μὲν ἕτερον ἡ δύναμις αὐτὴ πεπονθυῖα· τὸ δὲ ἕτερον ἔξωθέν τις πλημμέλεια. Duo quidem hujus aberrationis primùm ſunt genera. Unum, quod in potentia læſa; alterum, quod in externo aliquo errore conſiſtit.* Hæc dicta ſequentibus explicando confirmat: *Κακῶς*, inquiens, *ἡ γαστὴρ πέττει τῆς δυνάμεως αὐτῆς, ᾗ πέττει, βλαπτομένης, ἐν μὲν ταῖς δυσκρασίαις κατὰ τὴν ἑαυτῆς οὐσίαν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις νοσήμασιν ὀργανικοῖς παραποδιζομένης μόνον· ὅσα δὲ ἐκ δυσκρασιῶν τε καὶ ὀργανικῶν σύνθετα, καθ᾽ ἀμφοτέρους τοὺς τρόπους. Malè ventriculus concoquit ſuimet ipſius potentia, qua coquit, noxam ſuſtinente; per intemperies quidem in ſua ipſius eſſentia, per alios verò morbos, qui inſtrumentales ſunt, ipſa duntaxat impedita. Quod ſi cum intemperie, inſtrumentorum morbi componantur, utroque modo noxiam patietur.* Et pagina 684. hæc in verba erumpit: *Τῆς γαστρὸς μηδὲν πεπονθυίας, οὐ πέττει τὸ ζῷον, ἤτοι διὰ πλῆθος ἄμετρον τῶν ἐδεσμάτων καὶ πομάτων, ἢ διὰ ποιότητα μοχθηράν, ἢ διὰ ἀκαιρίαν, ἢ διὰ ἀταξίαν, ἢ περίττωμα φαῦλον, ἢ ὕπνον ὀλίγον. Ventriculo ipſo non malè affecto, non concoquit animal, ſive propter ciborum potionumque immodicam quantitatem, ſive alienam qualitatem, ſive inconvenientem ordinem, ſive excrementum inutile, ſive ſomnum brevem.*

Ventriculô autem ſic ſuccumbente, & quotidie ad exactam ciborum elaborationem debiliori ac ineptiori redditô,

non

non poteſt non πεὀυμάτωσις illa, qua quælibet ingeſta fermentare, & (ut ita dicamus) ſpirituaſcere oportet, impediri. Quâ ſic impeditâ, ſal & tartarus copioſè cum cibis deglutitus volatilis reddi nequit, ſed potiùs ut fixus, & ob hujus quotidianum acceſſum auctus, nihil niſi obſtructiones, cruditates & alia incommoda parere poteſt. Chylus enim malè hîc elaboratus, ac ſpecifica vi corruptus, ad inteſtina tendit, & quia viæ tenues ac anguſtæ, materia tranſiens verò, cruda, feculenta ac craſſa, ubicunque, ità ingratam ſui memoriam relinquit, viſceribusque depravatam ipſius diſpoſitionem imprimit & communicat. Lubet hîc *Thom. Willis* pulcherrima verba *de fermentatione cap. 5. p. m. 29.* ob majorem rei lucem annectere. Nec tantùm, inquit, ratione fermentorum naſcimur aut nutrimur, ſed & morimur. Quilibet morbus virtute „ fermenti cujusdam ſuas excitat tragoedias. Ut enim ſangvinis pars ſulphurea & ſpirituoſa, nimis evecta, inſtar vini efferveſcentis, immodicè in vaſis ebullit, & exinde febres diverſi „ generis & naturæ accenduntur: aut interdum cruoris pars ſalina, nimis evecta fluorem patitur. Indeque ſangvis acidus, „ auſterus, quandoque & acris factus, variis coagulationibus aptus „ eſt: è quibus ſcorbutus, hydrops, nephritis, lepra & morbi „ plerique chronici oriuntur &c. „

Pancreas accuſatur, quatenus naturâ ſua ob debilitatem, vel ipſius chyli vitio, officiô ſuo non rectè fungitur, ac ad primæ regionis illuviem excernendam ineptum redditur.

Meſenterium ſuos patitur Manes, quatenus, *vel* à mittentium partium varietate ac robore; *vel* ab humorum influentium peculiari corruptione; *vel* ab inæquali tam internarum quàm externarum cauſarum appulſu & actione, ejusdem functio turbatur, aut nonnunquam penitus obſtructionibus evertitur. Hinc fieri adeò videmus, inquit *C. Aſellius de ven. lact. cap. 28. p. m. 55.* ut occluſis obſtructisque his ceu canaliculis aboleatur quoque continuò, ac pereat ipſa diſtributio. Et clariſſimum Galliæ Decus, *Joh. Fernelius libro 6. pathol. cap. 7. p. m. 582.* affirmat & profitetur, choleræ, melancholiæ, diarrhææ, dyſenteriæ,

teriæ, cachexiæ, atrophiæ, langvoris, lentarumque errantium febrium, latentium denique morborum cauſas ſe in his plerumque ſedibus animadvertiſſe. Cui & faſces ſubmittit *Matth. Martini* in elegantiſſimo libello, de *morbis meſenterii abſtruſioribus*, conſcripto, *p. m. 3. Petrus Galtruchius in method. & inſtit. phyſ. particul. diſput. 4. cap. 3. p. m. 286.*

Nec ipſum Cor, fons ſangvinis *Alexand. Benedict. libro 5. §. 7. anatom. cap. 2. p. m. 69.* & vitalis caloris divinum armarium, juxta *Anton. Mizald. harmon. hum. & coeleſt. corp. dial. 7. p. m. 51.* ab hoc malo immune eſt, ſed acerrimè potiùs compatitur, & dum tranſientem hunc vitioſum ſuccum vitali ſuo nectare aliquatenùs corrigere, emendare & ſaniorem reddere omnibus viribus allaborat, ſemetipſum enervat, emaciat ac tandem conſumit. Adeò verùm eſt illud vulgare medicorum πολυθρύλλητον, quòd vitium in primâ coctione commiſſum, nec in ſecunda vel tertia perfectè reſarciri poſſit. *Jacob. Sylv. in comment. de febr. p. m. 42.* Quapropter, ut cum *Q. Serano, Poeta Samonio* loquar, ſicuti

ipſius validus firmat tenor omnia membra;
ſic, contra ejusdem franguntur cuncta dolore!

Hepar exemptum eſſe, Judæus Apella credat, non Ego. Depravatum in jecore & obſtructis ductibus ſangvinis circulatum, ſcorbutum corpori inferre poſſe, nullus in dubium citabit. Etenim, læſa hoc modo ipſius actione, validiſſimæ ſuccedunt obſtructiones, vel alia incommoda, itâ, ut elaborationem ſuam non ampliùs ritè perficere queat. Inde ſeqvuntur teſte *Moëbio in fundam. medic. phyſiol. cap. 14. p. m. 351.* cachexia, hydrops, atrophia, affectus hypochondriacus, dolor hepatis & alia mala.

Veſica fellea quandoque nec minoris æſtimationis eſt. "Hæc duo viſcera, hepar videlicet & veſicula fellea, inquit, do-"ctiſſimus ille Anglus, *Th. Willis, de urinis, cap. 4. p. m. 353.* cum aut "obſtructa, aut aliter depravata, munere ſuo pro ſecernendis a-"duſtis ſangvinis particulis minus defunguntur, eædem in cruore

plenius

plenius congeſtæ ſeroſo latice diſſolvuntur, ipſumque lixiviali „ tinctura adhuc magis inficiunt. Et ſi particulæ aduſti ſulphu- „ ris cæteris ſalis fixi & ſcorbutici præpollent, ſimul icterus fla- „ vus ſcorbuto accedit, & urina croceam tincturam linteis affi- „ git. Sin iſtis minores ſunt, & particulæ ſalinæ præcellunt, „ producitur affectus tantum ſcorbuticus, in quo urina intensè „ rubicunda eſt, nec tamen linteamenta tingit &c.

Νόθον illud *Ariſtotelis 3. de part. animal. tom. 1. cap. 7. p. m. 1159.* ἧπαρ ſeu lien, (exiſtimatum *Andr. Veſalii libro 3. de hum. corp. fabr. cap. 5. p. m. 30. & libro 5. cap. 9. p. m. 364.* & *Leonh. Fuchſii, part. 2. de hum. corp. fabr. libro 3. cap. 19. p. m. 57.* lutoſi feculentique in jecore confecti ſangvinis receptaculum) præ omnibus ad limam perducendus erit. Hic enim malè affectus totius corporis oëconomiam turbare, plurimasque partes in conſenſum trahere poteſt. Imò quod *Democritus* (*Corb. Gynæc. libro 1. cap. 1.*) ad Hippocratem de utero ſcripſit, quod ſequiori ſexui ſexcentarum ærumnarum author ſit; idem & de liene, quòd infinitarum ferè calamitatum faber exiſtat, affirmare non dubitavit, præcellentiſſimus *Moëbius loco citato, cap. 16. p. m. 406.*

Culpandus autem eſt hoc loco, quatenus, ſive per ἰδιοπάθειαν ſive per συμπάθειαν, ſcorias ♀reas, ſalinas, ſeroſas vel alio modo miſtas, non rectè ſegregat, ſed potiùs in maſſa ſangvinea confuſa, in pejùs degenerare concedit. De quo evolvatur antea laudatus autor *loco allegato, p. m. 396.*

Verùmenimverò, quia plurimi authores, qui de ſcorbuto libros ediderunt, lienem primariò affectum eſſe, & ex hujus ſolius læſione, reliqua incommoda omnia dependere ſtatuerunt, imò pro hoc, tanquam pro aris & focis pugnarunt: Hodiè autem non levia circa horum opinionem dubia occurrunt; quæſtionem hîc formare placet, *an lien pro vero ac proprio ſubjecto in quolibet ſcorbuto haberi posſit?*

Nos ex toto huic quæſtioni non aſſentimur. Et licet craſſi & feculenti ſangvinis reliquiæ, lieni præternaturaliter ſe habenti, communiter inhæreant, ipſaque αὐτοψία probet, illum ♀reorum, feculentorum humorum diluvio inundatum pomoe-

ria ſua ampliari ; Acutiſſima tamen clariſſimorum Anatomicorum inquiſitio in cadavera hoc morbo extincta , longè aliud nos edocuit , ut meritò illam opinionem , omnibus ferè « ſanctam, deſerendam eſſe arbitremur. Vidi, inquit, magnum « illud medicinæ olim lumen, *Sennertus libro 3. pract. med. ſect. 2. cap. 2.* « *p. 556.* in cadavere ſcorbuto extincti aperto, omentum quidem « totum fere putridum & corruptum, in liene verò nihil , quod « quantum ad ſenſum culpari poſſet, deprehendi. Et curioſiſſimus *Foreſtus libro 20. obſerv. ſchol. 11.* in quodam Hollandiæ præſide magis epar , quàm lienem affectum fuiſſe, diligenter annotavit. Sic etiam *Reuſnerus exerc. 4. de ſcorb. p. 199. 200.* viri cujusdam hepar corruptum, calloſum , ὑδατόχλοον & ad depurationem ſangvinis nauci vidit. Lienem verò flore, magnitudine & colore cum hepate ſano certantem. Imò *Horſtius* ipſe, qui lienem πρῶτον πάσχον in ſuo *tract. de ſcorb. ſect. 2. §. 8.* ſtatuit , ſcorbuticum quendam ſe vidiſſe meminit, cui jecur totum ſcirrhoſum ac tuberoſum interius atque exterius erat , nec quidquam vaſorum vel ſangvinis exhibebat. Lien verò triplô major , quàm ſecundum naturam eſſe ſolet , optimè ſanus conſpiciebatur, parenchyma jecoris colore ſat rubeo , nec non ſubſtantiâ carnoſâ, referens. Et excellentiſs. *Willis* poſt plurium ſcorbuticorum cadaverum diſſectionem multoties obſervavit hepar aut cyſtim felleam in culpa fuiſſe. Invenit enim in nonnullis hepar prorſus exangve & inſtar uberis vaccini exſiccum : in aliis veſicam biliariam prorsùs vacuam & inanem , in aliis lapidibus obſitam, in aliis amurcâ minimè amareſcente repletam ; lienem verò optimè validum & ſanum. Ut videre licet è libro prænominato.

Ex his autem omnibus ſatis conſtat, concluſionem hîc à particulari ad univerſale non procedere , & per conſequens lienem neque primò , neque ſemper & in omni ſcorbuto καθ' ἰδιοπάθειαν affici , & propterea ſubjecti proprii nomen minimè ſibi venditare. Interim facilè ipſis largimur, ſæpiùs quoque fieri, ut lieni forma humoris ſpecificè corrupti imprimatur , ſicque ſcorbutica diſpoſitio inducatur, modò ne pro primario ſubjecto habeant ſemper, & credant illi.

CAPUT

CAPUT III

De cauſa immediata ſeu proxima.

PErquam accuratè *Alexander libro 5. cap. 1.* inquit: Ἀμήχανον ἀγνοοῦντα τὸ αἴτιον, ἢ καὶ τὸ πάθος ἐκκόψαι δυνηθῆναι τὴν ἐνοχλοῦσαν διάθεσιν· *Certum eſt, ignorantem cauſam & affectum, non poſſe exſcindere negotium faceſſentem diſpoſitionem.* Quemadmodum enim Jurisperitis ex facto jus oritur, ita & nobis ſanè ex recta morbi cognitione tota medendi ratio petenda eſt. *Fernel. conſ. 7. p. m. 14.* Imò ad ipſum medendi pertinet officium, in ipſas cauſas omnium affectuum, quoad licet, inveſtigando penetrare. *Herm. Conring. in præfat. in obſerv. Salmuthi.* Τὸ δὲ αἰτιολογεῖν καὶ παθολογεῖν καὶ αὐτὰ ἀναγκαῖα· Τὸ μὲν ἵνα τὰς αἰτίας τῶν παθῶν ἰδίωμεν πρὸς ἃς δεῖ ἐπίσασθαι. Τοῦτο δὲ ἵνα καὶ αὐτὰ πάθη γνωρίζομεν. *Cauſarum verò & morborum notitia & ipſa neceſſaria eſt, ut affectuum origines, quibus reſiſtere oportet, ſciamus, tum etiam ipſos affectus intelligamus,* rectè *Galenus* in libro, cui titulus *Introductio ſeu Medicus, cap. 8.* Atque *Ariſtoteles* Peripateticorum Alpha & Omega, cauſarum cognitionem neceſſariam declaraturus, *tomo 1. libro 2. phyſ. cap. 3. tit. 27. p. m. 462.* in hæc erumpit verba: εἰ δέναι οὐ πρότερον οἰόμεθα ἕκαστον, πρὶν ἂν λάβωμεν τὸ διὰ τί ἕκαστον (τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ λαβεῖν πρώτην αἰτίαν· *Scire autem non prius opinamur unumquodque quàm utique ceperimus, propter quod circa unumquodque (hoc autem eſt accipere primam cauſam.*

Et ità omninò eſt. Hiſce enim præcognitis in feliciſſimam morbi curationem vehimur, & quò accuratiùs, eò citiùs & propiùs etiam ad regium ὑγιείας palatium accedimus, & glorioſiſſimæ hujus Reginæ conſpectu fruimur: Nam hæ ſunt ſolæ, quæ, ut *Leonh. Fuchſ. comment. in Hippocr. epidem. libro 6. §. 50. p. m. 157.* inquit, rectam curandi rationem ſuggerunt.

Nos igitur præceptorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, & χρὴ ἀνερωτᾶν αὐτίκα ἀτρεκέως τὸ αἴτιον obſervantes, meritò & hoc loco de iis certiores eſſe conabimur.

Diximus autem ſupra, quòd ſint humores ⊖ini, ☿rei, feculenti, craſſi, viſcoſi & peculiari modo corrupti &c. Probant hos humores aër, victus & vitæ ratio, de quibus infrà: Probat itentidem curatio; τὰ ἐναντία enim τοῖς ἐναντίοις θεραπεύονται. & chimicorum axioma, quod tale eſt: *fixum à volatili poſſe reddi volatile, & volatile à fixo etiam poſſe figi.* Jam verò omnia medicamina appropriata & ſpecifica antiſcorbutica ⊖e volatili abundant, ut ſunt ſinapi, naſturtium, cochlearia, becabunga &c. quæ omnia trita ſubtilem & acrem vaporem citò evaneſcentem communiter ſpirant, ⊖inasque qualitates etiam ipſo guſtu exhibent. Absque dubio igitur humores iſti ⊖e fixo abundabunt.

De hoc ⊖e, ridiculus ille aliàs academiarum hoſtis, & chimicorum anteſignanus *Theophr. Paracelſus* in libro von den „natürlichen Dingen / *cap. 5. f. m. 1038.* ſequentia tradidit. Es be„giebt ſich auch offtermals / daß ſolch ⊖ ſich in die Venas Meſe„raicas ſetzt / und granulirt und conſtipirt / da viel wunderbarliche „unerkantliche Kranckheiten aus entſpringen: Und nicht allein „in ſolchen Oertern und Enden / ſondern auch im gantzen Leib ꝛc.
Et *Joh. Sophron. Kotzack. ſect. 3. cap. 1. tract. de ſale, p. m. 6.* ſcribit. „Omnes vitæ & mortis, æternitatis & mutabilitatis, ſanitatis „& morborum, lucis & tenebrarum theſauri, locorum, tempo„rum, magnitudinum, multitudinum, ſympathiarum & antipa„thiarum, diſcrepantiæ, in uno ſalis latent myſterio. Nullus eſt „ſupernè; intus in nobis vel extra nos; in ſeminum centris „vel fructuum ſuperficiebus, motus & quies, quam ⊖ non in„choet, comitetur, continuet, interturbet aut terminet. ⊖ omni„um baſis eſt. Nihil enim eſt ſine ⊖e, quod eſt. ⊖ ſolvit, „⊖ ligat, ⊖ attollit, ⊖ deprimit, coarctat, dilatat, vivificat & „mortificat omnia &c. Hoc de ⊖e refert *Döring. libro 1. de medicina & medico, p. m. 109.* ſe in quodam ſcorbutico hæmorrhagia narium per intervalla laborante, obſervaſſe linteamina, quibus ſangvis excipiebatur, ab eo ipſo corroſa.

De ☿ro, (cujus explicationem prolixam fecit excellentiſſimus *Dn. D. Corn. Vict. Schneiderus,* Prof. publ. Witteberg, Præceptor olim fideliſſimus, in *libro de catharrh. 3. ſect. 1. cap. 7. p. m.*

259. & *ſeqv.* Et *libro de catharrh. ſpecialiſſ. libro 1. de arthrit. & podagr. cap. 6. p. m. 591. & ſeqv.*) res etiam eſt manifeſtiſſima. Craſſi enim & feculenti illi humores, ob ſupervenientem ☉is ſpiritum facilè coagulari queunt, *Gerard. Dornej. in clav. philoſ. Chimiſt. tit. de philoſ. ſpeculat. f. 162.* ê quibus deinde nil niſi obſtructiones in vaſis, extra vaſa & in articulis aliisque membris oboriuntur. Rectè de eo famoſus ille ſuperioris ſeculi *Paracelſus, in libro 3. paramir. tract. 3. de orig. morb. ex ♀ro, f. m. 171.* ſentit, quando inquit. Wie er ſich/ ſcilicet ♀rus, nun auſſerhalb der region des Magens anfaht/und geht durch ſein meatus, ſo hängt er auch an denſelben/und verſtopfft alſo die venas meſeraicas, poros und andere dergleichen / dadurch er gehet: Dannenher denn viel oppilationes, und dergleichen punctiones entſtehen/die dem Blut werden zugelegt/und nicht iſt / oder andern Sachen/und auch nicht iſt ıc. Hæc, & plura alia ſcopo noſtro inſervientia, longius in ſubſeqv. *tract. & in libris de ♀ro, f. m. 392. & in tract. 1. de morb. ex ♀r. cap. 2. f. m. 480. & ſeqq.* alibique ſparſim, ſed pro more ſuo, ſatis confusè interdum, repetiit. Memoratu ſanè dignam quoque hiſtoriam feliciſſimus Chirurgus, *Qvilielm. Fabr. Hildanus, cent. 2. obſerv. 44.* refert: In cadavere, ſcilicet, puellæ cujusdam, febre hecticâ tandem mortuæ, ingentem copiam ♀reæ illius materiæ, non tantum in meſenterio, ſed etiam circa venam portam, venæ cavæ ramum, tàm adſcendentem, quàm deſcendentem, lienem item & hepar, deprehenſam fuiſſe, ut vaſa hinc compreſſa liberum ſangvini motum denegaverint, atque ità miſeram puellam ad extremam tabem, & mortem demum ipſam, deduxerint.

Porrò notanter humores (rejectâ tamen cum *Marco Banzero in ſuis controverſ. medico-miſcellaneis decad. 5. §. 8.* opinione *Sorani Epheſii*, quam recenſet *Levin. Lemn. de occult. nat. mirac. libro 2. cap. 1. p. m. 134.* Et *Jacob. de partibus, in primam fen. Avicennæ doctr. 4. cap. 1.* Et *Joh. Marchantii* qui *tractatu de febre purpurata*, ſatis abſurdè ſangvinis in corpore humano exiſtentiam pernegat,) peculiari modô corruptos, quicquid etiam archæiſta *Helmontius* in ſuo tracti qui *Duumviratus* inſcribitur, blateret, aſſerimus: Quia

1. ſecus eſſe nequit, quin materia illa cruda & craſſa, ac ad alterationem perfectam inepta, tàm diu in locô, omnibus alimentis perviô detenta, ac variis qualitatibus imprægnata; tandem mutetur; qvam mutationem etiam ipſum contagium, (de quo tamen infrà liberiùs acturi ſumus) evincit, atque ſic ipſius malignam eſſentiam detegit & clariorem reddit.

2. ubicunque locorum permultos ſplenis obſtructione ac humoribus melancholicis laborantes conſpicimus, qui tamen ſcorbutô nullatenùs vexantur. Imò cuivis notum, & in iis regionibus, quibus humoris atri è ſolis fervore collectio familiaris eſt, ſcorbutum ferè ignotum eſſe.

Dum verò humores ⊖inos & ♀reos pro cauſa proxima agnoſcimus, cæteros, præprimis melancholicum craſſæ & crudæ ſubſtantiæ, excludere nolumus. Color niger excreta ſæpiùs tingens dejecta, nil ſanè aliud, quàm limoſam ac terreſtrem humoris ſubſtantiam indicat. Imò experientiſſimus *Sennertus cap. 1. de ſcorb. th. 4.* foëminam ſe obſervaſſe ſcribit, corporis colore cum ſana eſſet, florido, cui, cùm poſt quartanam ſcorbuto laboraret, totius colorem corporis ità in nigrum mutatum, ut vix eandem eſſe, quis cognoſceret. Maculæ illæ, in cruribus potiſſimum erumpentes, etiam hujus præſentiam oſtendunt. Præterea & cruruum ſicca & contumacia ulcera, obſtructiones & ſcirrhi lienis, quibus hac in paſſione nil frequentius, totius ſangvinis aliquando concretio, ut notavit *Petr. Salius Diverſus*, & magnificus *Dn. D. Joh. Theod. Schenckius*, vir ab admiranda ſagacitate, non tantùm celeberrimæ huic academiæ, ſed & orbi univerſo notiſſimus, p. t. Facultatis medicæ Decanus ſpectatisſimus, Dn. Promotor ac Præceptor ſingulari cultu proſequendus, in *humor. corp. hum. hiſtor. general. cap. 16. p. m. 109.* ut & ipſa curatio, quæ ſatis contumax & difficilis, nihil niſi humoris craſſitiem ac viſcoſitatem denotant.

Nec ſeroſum humorem excludimus, quia & hic ſæpiſſimè pro vehiculo adeſt. Sic celeberrimus *Sennertus libro 3. pract. med. pag. 594.* venam in crure apertam copioſiſſimum ſangvinem λεπτὸν καὶ ἰχωρώδη per aliquot dies profudiſſe, ne apparente

rente quidem orificii aperti veſtigio, in ſcorbutico vidit. Quod ipſum etiam alteri ex labiis accidiſſe, idem prælaudatus autor ex *Döringio* recenſet. Gingivæ ſcorbuticorum ſangvinem fundentes, ſudores copioſisſimi, ſalivationes crebræ, urinæ tenues & aquoſæ, & alia plurima de ſeroſo humore abundè ſatis teſtantur.

Imò nullos planè ſecernimus. Experientia enim docuit, quod omnes humores huic vitio anſam præbere poſſint. Quod & *Eugalenus* animadvertit, ſuamque opinionem, quam initio ſui tractatus *de ſcorb. p. 4.* ſoli humori melancholico dedicabat, correxit, atque hunc morbum ex varia humorum miſtione & colluvie fieri, expreſsè ſtatuit *pag. ſubſeqv. 17. 26. & 55.* Et *Sennertus libro 3. pract. med. p. 557. 558.* Item, *tract. de ſcorb. cap. 3. theſ. 5. & 7.* obſervavit ſangvinem in ſcorbuticis venâ aperta emiſſum, jam albo glutine, jam vireſcente (qualem & Schrāplæ in comitatu Mansfeldenſi in quodam Theologiæ ſtudioſo ſuperioribus annis me vidiſſe recordor) jam flaveſcente etiam penitùs obduci. Ità & Hafniæ lumen *D. Bartholinus de lact. thorac. cap. 13.* refert, ſe non ſemel in cacochymicorum & ſcorbuticorum miſſo ſangvine ſerum lacteum deprehendiſſe; Et à ſe quoque viſum, perſæpè narraſſe *Olaum Wormium*, cultisſimum Daniæ polyhiſtorem, (ut veneratur à *Georg. Hier. Welſchio, in diſſert. de ægagropil. p. m. 21.*) Videatur *Sibold. Hemſterhuis meſſis aurea, p. m. 96.* Atque ipſa ſcorbuticarum urinarum inſpectio ac varietas, quid quæſo aliud, quam variorum humorum congeriem, corporis oëconomiam deturbantem ac impugnantem arguit & indicat.

CAPUT IV.

De cauſis mediatis, & quidem naturalibus.

HActenus de cauſa immediata. Succedunt nunc cauſæ mediatæ, quæ ſunt naturales, vel non-naturales, vel præternaturales. De prioribus hoc loco.

Occur-

Occurrit autem primò TEMPERAMENTUM. Anima enim abſque hoc facultates ſuas nec exerit nec abſolvit. Habenda hujus præprimis ratio; quia, cùm mali, ut *Joh. Freytag. apud Gregor. Horſt. libro 2. epiſt. medicinal. ſect. 19. pag. 622.* loquitur; partiumque diſpoſitio adſit, & exhibeantur ea, quæ morbi cauſæ naturâ ſimilia ſunt, facilè alliciuntur, quæ ipſi ſunt homogenea.

Diſponit igitur ad ſcorbutum præ cæteris temperamentum. 1. frigidum & humidum. 2. frigidum & ſiccum, quippe, quæ gratiſſima malo huic præbent domicilia, & in quibus nidificare maximè gaudet. Utrumque verò, vel ex hæreditaria diſpoſitione, vel ex depravata viſcerum conſtitutione ac Διαθέσει, originem ducit.

Hæreditarium hunc affectum eſſe plerumque, nullus forte erit, qui neſciat. *Si enim* (ut verba venerandi Senis noſtri, *libro de morb. ſacr.* è translatione *Jan. Cornarii, p. m. 138.* hûc traham) *è pituitoſo pituitoſus, è bilioſo bilioſus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex lienoſo lienoſus? Quid prohibet, ut cujus pater & mater hoc correpti morbo fuerint, etiam poſterorum ac nepotum aliquis eô corripiatur? Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à ſanis ſanum, à morboſis morboſum.*

Imò infinita ſunt, quæ in ſpermate latent, quæ tamen non omnia ſimul, ſed pedetentim, pro ſalis ſcilicet morboſi in ſemine contenti natura; *Edmund. de Meara, cap. 9. de morb. hæred. p. m. 215. 216. in exam. Willis. diatr. de febr.* alia aliis prius aut poſterius in diem veniunt. Videatur *Ludov. Bonaciolus, de foëtus format. cap. 9. p. m. 224.* annexus *Sever. Sinæi tractatulo de notis virginitatis* &c. Hinc non ineleganter *Janus Damaſcenus,* in aphoriſmis ad filium ſcriptis, *18. p. m. 116.* Nos, quemadmodum animi vitia & lineamenta corporis, ità & morbos quosdam à parentibus haud rarò hæreditare, reliquit.

Quin ipſa experientia indies confirmat, ſcorbuticorum liberos non tàm bonorum, quàm malorum hæredes fieri. Hæc enim ſeminis natura eſt, ut tale quid actu efficiat, quale id, quod eſt excretum. Inde *Reuſnerus exerc. 4.* affectum hunc

rec u-

recruduiſſe, & virus ſuum in nepotibus etiam exſeruiſſe ſæpiùs notavit. Conferatur de his prolixiùs *Edmundus de Meara* loco citato *p. m. 217. & ſeqq.*

Depravata viſcerum diſpoſitio plerumque è rerum non-naturalium conſimili διαθέσει dependet. Ventriculus ſanè, optimus alioquin alchimiſta, multùm hic facit, dum locô chyli laudabilis & perfecti crudum & craſſum cæteris admittit visceribus. Nam quid ille non ſubegit & volatiliſavit, ſubactionem in reliquis, ut ſupra dictum, non expectat partibus. Hinc ⊖ia fixa, ♀rea, non rectè ſeparari queunt, ſed potiùs de die in diem accumulata, ⊖ia etiam volatilia in ſanguine præſentia figunt, adeoque & cætera totius corporis membra, præſertim lienem & epar, ſpecifica quadam corruptione pervaſtant, ut ad ſanguinis depurationem prorsùs inepta & indiſpoſita fiant. Unde poſteà tota ſangvinea maſſa ſalſa ♀reaque facillimè redditur, ac proinde tale ſcorbuticum malum progeneratur. Confer *Höchſtetterum decad. 50.* qui cum *Diocle* ventriculum hujus mali primariam mediatam cauſam arguit, cui quoque genium ſubmittit *Highmorus in diſſert. de affect. hypochondr. cap. 3. p. m. 78. & Phil. Grüling. in med. pract. libro 5. cap. 3. part. 1. p. m. 481.*

ÆTATEM quod attinet, cuilibet familiaris eſſe ſolet: Affliguntur hoc morbo pueri, juvenes & ſenes, & prò temperamenti ratione hic citiùs, hic tardiùs, hic levius, hic fortius & graviùs eô laborat. Creſcentibus autem annis, creſcunt & ipſius mali vires, & in deteriùs vergunt, adeò, ut quem natura leviſſimum olim ſit paſſa errorem, vix amplius, & difficulter admodum corrigere liceat.

Quoad SEXUM: Miſerabilis certè foëminarum eſt conditio, quòd præter morborum, ipſis ſolis communium, Iliadem, variis inſuper diris ac difficillimis ægritudinibus, cum viris pariter eas ſæpiſſimè excarnificari videamus. Contumaciſſimus hic affectus, qui non minus captioſus eſt, quàm doloſus & immanis, facem cæteris præfert, & abſque ullo reſpectu habito, tùm meliorem, cùm ſequiorem ſexum aggreditur, ſuâque

tædioſiſſima & pernicioſiſſima præſentiâ, eorundem temperamenta eò fortiùs inquinat, quò major viſcerum diſcordia, ac nativa quædam *ἀιλπραξία* exiſtit. Quin ſi medicorum Phosphoro, & *Joh. Veslingii obſerv. & epiſt. med. 71 p. m. 219.* fides habenda, propenſiores erunt foëminæ, quàm viri, hunc in morbum; quia 1. frigidioris temperamenti; 2. *ἀραιότεραι τῶν ἀνδρῶν rarioris texturæ ſunt, quàm viri.* Præterea harum negotia otium ſapiunt. Vitam enim ſedentariam agunt nendo, fila trahendo, acu pingendo, fila artificiosè nectendo. His igitur & ſimilibus exercitiis totos conſumunt dies; quibus tamen calor nativus non excitatur, ſed potiùs deprimitur ac diſſipatur. Artii enim dum invigilant, ſanitatem amittunt.

RARUS CORPORIS HABITUS, AC POROꝶRUM APERTIO ſilentii ſipario minimè involvenda ſunt. Hæc enim, ut in omnibus contagioſis morbis; ità & hoc loco meritò accuſanda veniunt; dum ſcilicet ſcorbuto vias monſtrant, quibus eò faciliùs in corpora noſtra ſeſe inſinuare, masſamque ſanguineam, optimum vitæ condimentum, perversâ ſuâ naturâ, ſibi æqualem ac ſimilem reddere queat.

Ita & corporis OBESITAS propter obſtructiones, in quas obeſi facilè incurrunt, ut cauſa coadjuvans, haberi poteſt. Vide *Martin. Ruland. problem. medico-phyſ. libro 1. probl. 242. pag. m. 146.*

CAPUT V.

De cauſis non-naturalibus.

SEqvuntur rectô nunc tramite cauſæ externæ ſeu NON-NATURALES, quæ juxta *Albertum de ſcorb. theſ. 58.* ſæpè illæſis etiamdum beneque moratis viſceribus, & oëconomia naturæ ſibi conſtante, ſuo quodam vitio ad tantam ſcorbuticam *κακοχυμίαν* producendam aptæ natæ ſunt.

Harum autem cauſarum *ὑπὸ τούτων ἁπάντων ἀνάγκη τὸ σῶμα διατίθεσθαι πῶς, è quibus omnibus neceſſe eſt, corpus aliquo modo affici;*

affici, in medicorum ſcholis, teſte *Galeno in art. medicinal. f. m. 829. c. 80.* vulgò ſex enumerantur; ἓν μὲν οὖν ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὁμιλίας· ἕτερον δὲ ἐκ κινήσεως καὶ ἡσυχίας ὅλου τε τοῦ σώματος καὶ κατὰ τὰ μόρια. Τρίτον δὲ ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως· Τέταρτον δὲ ἐκ τῶν προσφερομένων. Πέμπτον, ἐκ τῶν ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων. Ἕκτον, ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν. *Unum ex ambientis aëris adhæſu. Alterum verò ex motu & quiete totius corporis, & ſingularum partium. Tertium ex ſomno & vigilia. Quartum ex his quæ aſſumuntur. Quintum ex iis, quæ excernuntur & retinentur. Sextum ex animi affectibus.*

Nos majoris claritatis, jucunditatis & utilitatis gratia de ſingulis acturi, easdem ſpeciatim in ſcenam producemus.

I. AEREM itaque, omne quodcunque comprehendentem, *Alexandr. Aphrodis. cap. 9. de febr. pag. m. 35.* quod concernit; reprehendendus erit turbidus, ſalſus, frigidus, craſſus, nebuloſus, & uliginoſus, juxta *Hippocr. libro de aër. aqu. & loc. Albert. loc. cit. theſ. 44. Wier. de ſcorb. p. 3. Eugal. de ſcorb. pag. 2. Reuſn. de ſcorb. exerc. 4. p. 157. Horſt. exerc. 1. de ſcorb. theſ. 13.* quatenus humores confundit, ſpiritus inficit, corpusq; elumbe, ac ad cruditates generandas aptum reddit. Vide *Fernel. libro de cauſ. morb. cap. 13. p. m. 369.*

Hinc & germani oceani, balthicique maris incolis & exteris populis ſeptentrionalibus hic morbus endemius ſeu patrius eſt. *Edm. de Meara in exam. Willis. de febr. p. m. 185. cap. 1. de morb. hæred.* Aliis autem in locis, ut in Bohemia, Sileſia, Saxonia, Franconia &c. ſporadicus ſaltem, teſte *Ronſeo libro de magn. lien. cap. 5.* cui adſtipulatur *Stegghius libro 4. medic. pract. cap. 13. Philip. Grüling. libro 5. medic. pract. c. 3. part. 1. p. m. 480.*

Utitur autem hujusmodi aër dominio ſuo præprimis vere ac autumno.

Vere; quia natura tum à ſole robore accepto feculentos & vitioſos humores, qui hyberno tempore in profundo corporis latitarunt, diſſolvere, movere ac ad externa propellere conatur, *Tob. Knobloch. in comment. ſuper aphoriſm. Hippocr. 20. ſect. 3. p. m. 154.* Impeditâ verò in hoc conatu deficit.

Autumno; quia maligni humores intrò convertuntur, ac veluti in ergaſtulo concluduntur, ut hinc exorti morbi incurabiles ferè evadant. *L. Cæl. Rhodigin. libro. 30. lect. antiqv. cap. 23. f. m. 1171. Joh. Heurn. in comm. 3. aphoriſm. 22. p. m. 64.*

Notatu digna verba ſunt, & niveo, quod in proverbio eſt, ſignanda lapillo, *Joh. Viſcheri*, quando in *enarrat. libro 3. aphoriſm. Hippocr. 22. p. m. 200.* de autumno ſic differit: In nulla alia anni parte natura infirmiùs regit humores. Nam calor innatus ob æſtum præcedentem & ſolis à noſtro vertice diſceſſum, in ſubſtantia plurimùm minuitur: Nec leviter afficiuntur corpora à magna aëris inæqualitate, à qua magna in humoribus fit perturbatio: Corpora quoque calore æſtatis laxata frigoris injuriæ patent: Superſtes quoque eſt adhuc materia per æſtatem collecta, quam autumnale frigus poris conſtrictis cogit, hujus effluxum cohibet, & intrò compellit. Quare morborum ſemina per æſtatem concepta, prima autumni parte vires accipiunt. Vide *Bartholom. Anglic. libro 9. de rer. propriet. cap. 6.* porrò *Fabr. Paduani caten. tempor. annul. 12. p. m. 60.* & *Georg. Pictorii librum 6. epicyliar. quæſt. p. m. 268.*

Calidum aërem etiam ſeu æſtatem, aliquando & per accidens (dùm nimirum ſubtiliores ſangvinis partes abſumit, craſſiores verò relinquit) aliquid ad ſcorbuti generationem conferre poſſe, haut inviti ambabus manibus *Echthio, epit. de ſcorb. p. 305. & Foreſto, libro 20. obſ. 12.* largimur.

Hûc referendus locorum ſitus. Magis enim ſcorbuto obnoxii ſunt, qui in locis frigidis & humidis, ſubterraneis ac cellis habitant; *vel*, qui carceribus detinentur, quorum muri ſalſas & nitroſas ſpirant exhalationes; *vel*, qui ſitum tenent ad paludes, ad lacus, ad mare: quàm qui in moderatè calido ac libero degunt aëre. Inquinamenta enim & exhalationes ab æſtu maris & exundantibus fluminibus relicta non poſſunt non aërem inficere. Quia verò eô carere non valemus, ipſius quoque labe nos corripi, ac tandem conſumi oportet.

Ventorum quoque obſervatio attendenda eſt. Nam hi aërem valdoperè alterant & mutant per eas, quas adferunt, exſpirationes, & per qualitatem, quam acquirunt ê locis, unde

veniunt,

veniunt, magis vel minus á ſole illuſtratis. Exhalationes ex aquis & terra, impuræ, quæ utriusque viſcera exſpirant, ê quatuor mundi cardinibus ſeu angulis, graves morbos parere poſſunt. Hoc docuit annorum eventus 1556. 1562, quibus auſter favonius flabat, ſimulq; uberes dejiciebantur imbres: quos ſcorbuti excepere nonnihil epidemici redolentes.

Peccant autem præ omnibus venti auſtrales & meridionales, utpote, qui ſanitati corporis humani infeſtiſſimi ſunt. Conſulatur in hoc argumentum *Hippocr. libro de humor. p. m. 135.* & *aphoriſm. 5. ſ. 3. & aphoriſm. 17. hujus ſectionis.* Videatur & inſuper *Ariſtot. oper. tom. 2. ſect. problem. 26. Joſeph. Quercetan. diatet. polyhiſtor. ſect. 2. cap. 3. p. m. 84.*

ASTRORUM PECULIARIS INFLUXUS non temerè profectò, nec abs re, à medicis obſervari etiam ſolet. Multi enim morbi ſiderum impulſu agitatis humoribus oriuntur. *Ἀλλὰ μὴν ἡλίου καὶ σελήνης, ait brevitati & puritati addictisſimus Hippocrates libro de flatib. p. m. 95.* καὶ ἄστρων ὁδὸς διὰ τοῦ πνεύματός ἐστι. *Solis, lunæ & aſtrorum curſus per aërem procedunt.* Vultus hujus inferioris mundi, *inquit Ptolomeus ſentent. 9. centiloqv.* ſubditi ſunt configurationibus coëleſtibus, non ſolùm obedientiâ generali, ſed & ſpeciali. Hinc & audaculos illos, qui aſtrologicis obſervationibus omninò ogganire gaudent, Anticyras, ut hellèborum eò ſumant, cerebrumque expurgent, mittendos eſſe, ſvademus. Vide *Inſtit. phyſ. Alb. Kyperi. tom. poſter. libro 4. cap. 7. art. 3. p. m. 81. Epit. nat. ſcient. Dan. Sennerti. libro 2. cap. 2. p. m. 197. Clem. Timpleri apſycholog. libro 2. cap. 4. probl. 1. pag. m. 219. Barthol. Keckermaani ſyſtem. phyſ. libro 2. cap. 4. pag. m. 113. & ſeqv. Caſp. Bartholini enchir. phyſ. libro 3. cap. 23. p. m. 204 & ſeqv. Joh. Zeiſold. libro 2. inſtit. phyſic. ſect. 1. art. 2 §. 44. p. m. 25. & punct. 6. d. l. §. 126. & ſeqv. p. m. 65. & ſeqv.* & alios.

Exhibent autem effectum tragicum ♄ & ♂ infauſtis radiis pugnantes, vel ☌ne, vel □to, vel ☍ne. Vide *Joh. Frider. Helvet. amphitheatr. phyſiognom. med. cap. 1. p. m. 7.* ejusdem *tract. de morbor. morte, cap. 8. p. m. 28.* præſertim ſi ♄ in ſignis 🜃 eſtribus vel 🜄 ticis oberrat, de quo evolvi poteſt *Henr. Ranzovius* vir togâ

ſagoque illuſtris, *in tract. aſtrolog. cap. 18. part. 3. p. m. 279. & part. 4. p. m. 296.* ♄ an und für ſich ſelbſt / inquit emeritus ille academiæ Altorphinæ Senior, *Abd. Trew, in nucl. aſtrolog. correct. cap. 9. p. m. 51.* Verurſachet alle Kranckheiten / ſo von ſchwartzer Gallen / item, die von Verſtopffung und Zuſammenziehung kommen / alle calculos, ♄ros, wie mans nennet ꝛc. Et in ultima hujus pagellæ linea: Die chimici nennen die urſachen der Kranckheiten mit andern nahmen / und theilen ſolche in ⊖inos, ♀reos & ☿iales; Aber wenn man es beym licht beſihet / ſo ſind die ⊖ini die ♄niniſchen / und ♀rei die ♂tialiſchen / und wenn ſie das hirn angreiffen / ſo ſind ſie ☿iales &c. lege & *cap. 14. pag. m. 75.*

Cæterùm □ ☽æ ad horoſcopum idem, juxta prælaudatum *Ranzovium* loco citato, *p. m. 304.* minatur. Duo luminaria à maleficis afflicta in ſignis morboſis, ut ♈, ♉, ♋, ♏, ♑, ♒, ♓; ità, ut vel luminarium alterum, vel alter maleficorum, domum aut exaltationem in Ima habeat vel VIta domo, ſæpiùs etiam hujus atrociſſimi mali defenſores eſſe queunt. Egit de his prolixiùs excellentiſſimus & inſignis mathematicus, *Dn. Chriſtoph. Notnagelius*, vir ſupra laudis peripheriam poſitus, Patronus ac præceptor meus, cum Wittebergæ degerem, magnus & fideliſſimus, νῦν ἐν ἁγίοις, in collegio quodam aſtrologico, privatim mihi communicato. Præterea ☿ etiam, ſi cum aliquo maleficorum conjungitur, ſymbolum ſuum addit, ſecundum *D. Wolffium Geuſſ. in meth. curand. morb. mathemat. cap. 2. p. m. 6.* Aſpectus illi maligni, anno *1636. 37. 38.* quorum catalogum dedit Magnificus *Dn. D. Joh. Valent. Majer.* Phyſicus Creilshemenſis, & Sereniſſæ Onoldo-Brandenburgicæ Domus archiater feliciſſimus, vir accurato judicio, ætate, multiplicique experientia, & variis peregrinationibus rariſſimus; Dn. Patronus ac affinis meus vitam honoratiſſimus, in *conſil. febriſug. p. m. 7. & ſeqv.* magni quoque hîc ſunt momenti.

His adductis tandem ſubnectimus contagium. Vix enim dici poteſt, quàm celeriter, & quàm tectè hoc malum ab uno in alterum ſerpat, deteſtabilemque ſuam ferociam exſerat:

Hinc

Hinc & ſæpiùs integræ domus, integræ familiæ, hoc morbo infectæ pallido vultu in mortem concidunt: nullam aliam ob cauſam, quàm, quòd à nutricibus hoc morbo infectis per cibum ante maſticatum, (cùm parùm de his ſunt parentes) ſcorbuticus humor infantibus communicetur: *vel*, aſſiduo cum ſcorbuticis commercio, aut qualicunque acceſſu ad corpus ἢ ἐπαφὴν, ἢ συνανάχρωσιν, vitiatas atomos & *μιάσματα* attrahant: *vel* gingivis corruptis ex iisdem cylibani carcheſiis bibant, ex eademq; paropſide vel cochlearibus commeſſentur; *vel* largiori oſculo, accedente inſuper nefando iſto *περιγλωττισμοῦ lingua colluſionis*, vitio, ſalivam ab ore excipiant ſcorbuticam. *Reuſner. dicto loco exerc. 6. p. 388.* Unde & Italis poculorum communio, non ſine ratione ſuſpecta habetur. Anſeaticis verò in civitatibus, & inferiori Saxoniâ, aliisque in locis, quid amabò frequentiùs? quid uſitatius? adeò, ut pro piaculo habeatur, ſi quis poculorum ſatis capacium ſympoſia vitet ac recuſet.

Perpulchrè ſanè, ingenio & ſolertia practica famigeratiſſimus *Horſtius in tract. ſuo de ſcorb.* hoc de contagio loquitur. Quid mirum, inquiens, quòd in Hollandia malum ſcorbuti- ,,
cum tàm facilè ſerpat, & in exteros etiam hoſpites graſſetur, cùm ,,
ibidem tot oſcula, quot ſalutationes, præſertim apud foëminas, ,,
eásque non ſolùm juvenculas (à quibus exoſculatis forte minor ,,
expectanda noxa, tùm, quòd malo dicto non admodum ,,
obnoxiæ; tùm etiam, quòd, ſicut Poëta dixit ,,

——— ——— ——— *mollia ſemper*
oſcula delectent ——— ——— ———

Ut quò quid jucundum ac delectabile magis, eò minus noxi- ,,
um, propterea, quòd appetitus ſequatur imaginationem, cujus ,,
in humores & ſpiritus vis maxima non contemnendis ratio- ,,
nibus ſtatuitur) Sed proh dolor! etiam vetulas, exuccas, ex- ,,
angues, ſolo aſpectu infantibus æſtimativæ facultatis operati- ,,
one adhuc deſtitutis, horrendas: quæ, ſi abſque oſculo ſaluta- ,,
rentur, de maxima injuria contemptuque inſolito conquere- ,,
rentur. Quid mirum, quòd in civitatibus Anſeaticis & inferiori ,,

Saxonia

„Saxonia tàm uberi proventu ſcorbutus ſeminetur, cùm rariùs „ in una menſa convictores aliquot inveniantur, inter quos non „ quidam ſint ſcorbutici. At hoc non obſtante, mos nihilominùs communis obſervatur, ut pocula ſint communia, plerumque tantæ magnitudinis, ut vix impletione ſecunda opus ſit, „ in quæ non ſemel, ſed multoties inter bibendum ſaliva ſcorbutica deponitur, & à vicino ad vicinum (nefas enim & inhoneſtum eſt in his locis apud plebejos extra ordinem cuidam hauſtum propinare) unà cum potulenta materia communicatur &c. Videſis *Sennert. tract. de ſcorb. cap. 7. p. m. 60. Horſt. tract. de ſcorb. cap. 5. p. m. 52. 53. Th. Barthol. in ciſta med. Hafn. libro 48. p. m. 497. Joh. Hayne, tract. de morb. aſtralibus, cap. 15. p. m. 124.*

Fruſtrà ergò laborat *Joh. Conr. Wechtlerus*, vir aliàs ingenio & doctrina acutiſſimus, quando *pag. 207.* inquit: Scorbutus quidem eſt affectus malignus, quia eſt mali moris; ſed tamen non eſt contagioſus, quia in corpus & ſubjectum proprium ferox eſt, non in alienum. Longè aliud enim experientia, & corporum, ratione pororum, permeabilitas evincit & edocet: Ut jam ſilentii cippo præcellentiſſimorum autorum, videlicet *B. Sennerti libro 3. pract. medic. p. 650. Eugaleni de ſcorb. p. 399. Reuſneri alleg. loco, Horſtii*, aliorumque plurium aſſenſum, obtegam ac operiam. Quomodo autem hoc malum nobis ſeſe inſinuet, è feliciſſima *Harvei* doctrina de ſangvinis circulatione haberi ac demonſtrari poteſt.

II. Atque hæc de primo τῶν τὸ σῶμα ὑμῶν ἀλλοιέντων exceſſu; quem nunc excipit κίνησις καὶ ἡσυχία ὅλȣ τȣ̃ σώματος, καὶ κατὰ τὰ μέρη MOTUS ET QUIES totius corporis & partium ſingularium.

De MOTU eleganter Ἀςὴρ Ἰατρικῆς *Hippocr. ſect. 4. aphoriſm. 14.* Κίνησις, inquiens, τὰ σώματα ταράσσει, *Motus corpora turbat.* Intelligit autem immoderatum, vel immediatè ante cibum, vel ſtatim à cibo ſuſceptum, qualis eſt vehemens equitatio, magnæ pilæ, ſeu folliculi ventoſi luſus, das Ballon ſchlagen/curſus, pugilatus, ſaltus, (der Bauren Tanz) de quo *Lucretius libro 5.* canit:

Et Zephyri cava per calamum tunc ſibila primùm
agreſtes docuêre cavas inflare cicutas.
— — *Agreſtis enim tùm Muſa vigebat,*
atque extra numerum procedere membra moventes
duriter, & duro terram pede pellere matrem;
unde oriebantur riſus, dulceſque cachinni &c.

Hoc autem nimio motu calorem nativum extingvi, crudos & craſſos humores cum ſemielaborato chylo καὶ ἡμιεφθῷ ad viſcera ac totum corporis ambitum ferri, ſanguiniſque maſſam magis ac magis conſpurcari ac contaminari, quis quæſo negaret?

QUIES nimis diuturna, otioſa, ac vita cochlearia obeſt, dum totum corpus torpidum & ἐκτεθηλισμένον efficit, pororum meatus obſtruit, ſanguinis circuitum retardat, humorum defluxiones irritat, ſicque excrementorum ad emunctoria iter remoratur. Ῥᾳθυμίη dicit φῶς Ἰητρῶν *Hippocrates libro 2. de diæta, p. m. 115.* καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει· ἀτρεμίζουσα γὰρ ἡ ψυχὴ, οὐκ ἀναλίσκει τὸ ὑγρὸν ἐκ τοῦ σώματος. *Segnicies ac otium humectat, & totum corpus debile facit. Anima enim quieſcens humiditatem ex corpore abigere non poteſt.* Perpulchrè Poëta etiam:

Otia perturbant ſtomachum, juvat actio, ni ſit
nondum concoctus turbidus ille cibus.

III. Ὁ ὕπνος καὶ ἐγρήγορσις τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα κακόν. *SOMNUS ET VIGILIÆ ſi modum exceſſerint malum,* exclamat *Hippocrates 2. aphoriſm. 3.* Et *Bertrucius* ſuo tempore per Italiam famigeratiſſimus medicus, in *collectorio artis medicæ*, per *D. Joh. Cæſarium,* edito, *cap. 2. p. m. 10.* expreſsè à ſomno corpus infirmari, caput humectari, ſuperfluitates multiplicari, indigeſtionem cauſari, ac alia incommoda induci, teſtatur.

VIGILIÆ & lucubrationes in multam noctem durantes, hujus mali cauſam fovent, dum exhauſtis corporis ſpiritibus vires labefactant, ſiccitatem adferunt, cruditates pariunt, cibi potusque concoctionem impediunt, ac demum corpus reſolvunt. Vide *Hippocr. libro 3. de vict. rat. in morb. acut. p. m. 385.*

Bernh. Gordonii pract. univerſ. partic. 2. cap. 18. ſ. m. 29. & Seb. Auſtr. de puer. morb. ſymptom. p. m. 69. Inde non injuſtè *Ovidius 1. de arte amandi,*

attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes,
curaque & immenſo qui fit amore dolor.

IV. Præter has enumeratas cauſas, ſæpè etiam
materiam lethi bibimus, cum veſcimur, atque
pabula quæ vitæ, dant alimenta neci.
Ipſo mors ſub dente crepat. — — —

Jure igitur, & non immeritò CIBUS ET POTUS ad cenſuram trahuntur; quatenus nimirum vel quantitate, vel qualitate, vel utendi modo error in hiſce committitur. Vide *Joh. Nicol. Stupani, medic. theoric. p. m. 522. Joh. Schitleri compend. tot. art. medic. corp. p. m. 44. 45. &c.*

Quantitate: dum plus aſſumitur, quam concoqui poteſt. Ventriculus enim ſic obruitur, & natura ad tantam ciborum molem concoquendam debilitatur. Hinc & accidit, ut ingeſta ad corporis alimentum non reſpondeant; ſed potiùs ad obſtructiones & humores procreandos ſcorbuticos anſam præbeant. Πονηρὴ δ᾽ ἐστὶν τοιήδε δίαιτα, inquit *Hippocr. libro de flat. p. m. 95.* Τοῦτο μὲν οὖν, ὅταν τις πλείονας τροφὰς ἢ ὑγρὰς ἢ ξηρὰς δίδωσι τῷ σώματι, ἢ τὸ σῶμα δύναται φέρειν, καὶ πόνον μηδένα τῷ πλήθει τῶν τροφῶν ἀντιθῇσι. Τοῦτο μὲν οὖν, ποικίλας καὶ ἀνομοίους ἀλλήλησιν ἐσπέμπῃ τροφάς. Τὰ γὰρ ἀνόμοια στασιάζει. Καὶ τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ χολαίτερον πέσσεται. *Eſt autem mala diæta hæc. Primùm quidem, cùm quis plures cibos vel liquidos vel ſiccos ingerit in corpus, quam ipſum corpus ferre queat, neque laborem aliquem ciborum ſaltem multitudini parem adjungit. Deinde, cum varios & disſimiles inter ſe cibos aſſumit: Seditionem enim movent, quæ ſunt inæqualia, aliaque citius, alia difficilius concoquuntur.* Huc faciunt & verba, quæ *2. aphoriſm. 17. p. m. 510.* reperiuntur: ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, νοῦσον ποιέει. *Ubi nutrimentum ultra naturam capitur, morbum facit.* Vide & hujus ſectionis *aphoriſm. 2. ac libr. de vict. rat. in morb. acut. p. m. 382.*

Qualitate

Qualitate error admittitur, quando cibi δύσπεπτοι, δύσχυμοι καὶ δυσώδεις, mali ſucci, difficilis concoctionis & mali odoris, craſſi & aduſti, ſive ab igne, vero & adæquato corporum analyſta (ut nobilis loquitur *Robertus Boyle, chymiſt. ſceptic. part. 4. p. 183.*) non benè præparati, ingeruntur. Maſſa enim ſangvinea ſic defraudatur, locoque chyli amabilis ac naturæ grati, ingratus, craſſus & multo ⊖e ac ♀ro imprægnatus & depravatus advehitur.

Utendi modo peccatur; cùm 1. cibi diſſimiles, nimirum concoctione difficiles facilioribus, intermiſcentur intempeſtivè ac ordine inverſo. Vel, uti *Horatius libro 2. ſatyr 2.*

——— ——— ——— ſi ſimul aſſis
miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis.

Exinde τὴν ποικιλίαν τῶν προσφερομένων, καὶ μάλιστα ἐὰν ἀνόμοια ταῖς δυνάμεσιν εἴη, ταραχὴν ἐργάζεσθαι κατὰ τὴν γαστέρα, *multiplices & præſertim facultate diſſimiles cibos magnam gignere in ventriculo perturbationem*, docuit *Galenus 3. de vict. rat. in acut. t. 35. & 1. de vict. rat. in acut. t. 18. & 3. de ſymptom. cauſ. f. m. 584. Ægineta libro 1. cap. 73. p. m. 47. Avicenna libro 1. fen. 3. doctr. 2. cap. 7.* 2. Quando cibi adhuc ferventes & propter calorem ebullientes inſumuntur. Ità enim vapor ille exhalans, & ſale abundans dentibus ſeſe adponit, ♀rum progignit, illosque vacillantes ac nigricantes reddit.

Hûc pertinet ἡ κυπελλομαχία *certamen poculorum*, συμποσίȣ ναῦται καὶ κυλίκων ἐρέται convivii nautæ & poculorum remiges, potiones illæ ſalutiferæ, (melius forſan lethiferæ) das Geſundheit trincken / quæ ebrietati ſummam imponunt manum &c. de quibus graviter perorat *Ambroſius*, vera Chriſtianæ pietatis Ambroſia, *libro de Helia & jejun. cap. 7.* Quid, inquiens, obteſtationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum? & qui non ebiberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! bibamus pro ſa-

 lute

„ lute exercituum,pro comitum virtute, pro filiorum ſanitate.
„ Et hæc vota ad Deum pervenire judicant. Aqua decurrens
„ à Libano cautes rumpit & ſolvit, quomodo mollibus putant
„ nequaquam nocere viſceribus vinorum impetus fluentorum?

Et certè ita eſt: Tanta enim potus ingurgitatio, & genii Græcorum more indulgentia,non poteſt non totam corporis compaginem diſſolvere, & ſanitatis jacturam conficere. Hinc & *Owenus libro 3. epigr. ad Carol. Eborac.* §. *14.* ſalsè eos perſtringit, qui ſic in principum & Honoratiorum ſalutem bibentes ſibimetſis periculoſa incommoda adſciſcunt.

Eſt potior potâ ſicca ſalute ſalus;
Et res abſurda eſt, & talis forma loquendi,
credere, pro alterius poſſe ſalute bibi. ——

Et idem alibi:

Quo tibi potarum plus eſt in ventre ſalutum,
hoc minus epotis hiſce ſalutis habes.
Una ſalus ſanis, nullam potare ſalutem
non eſt in pota vera ſalute ſalus.

Ejusdem pretii etiam ſunt hauſtus ſerotini, die Schlafftrünck. Coctio enim inchoata ob affuſionem novam interturbatur, quin planè interrumpitur, cujus dein vitia nec in ſecunda nec in tertia corrigi queunt. Atque hæc in genere.

In ſpecie autem reprehenduntur inter ESCULENTA panis bicoctus, zweybacK/Schiffbrodt/ panis furfuraceus, ſive non ſatis, ſive nimis fermentatus, â frumento vel vetuſtate, vel pluviis ferè corruptô, piſtus, aut ſubmucidus ille, vel aſſervatione diuturna, vel infumatione etiam exiccatus, arefactusq;. Confer *Joh. Schmid. libell. de remed. probat. ad cavſon. & ſcorb. p. m. 62.* & ejusdem *peculiar. tract. de peſte, lue Gallica & ſcorbuto, pag. m. 378. & ſeqv.*

Hujusdem quoque farinæ ſunt caro bubula; præprimis veterum ac laboribus exhauſtorum; Carnes ſuillæ, aprugnæ, cervinæ, leporum veterum, pedes ac viſcera animalium, farcimina è ſangvine confecta, laridum ſpisſisſimo (ut *Joh. Barclaius in ſuo Euphormion. ſatyr. part. 1. p. m. 77.* differit.) veſtitum fumo, omnes-

omneſque cibi muriatici,& ſaliti. *Galen. 3. de loc. affect. cap. 4. f. m. 742. Nicol. Rorar. in conciliat. contradict. Hippocr. Celſ. Galen. &c. p. m. 247.* Aves aquaticæ & humivolæ, ut anſeres, anates, columbæ antiquiores &c. Ova indurata vel oleo vel butyro frixa & comeſta.

Piſces marini, vel 1. fumo aut ſole exiccati, ut aſelli, paſſeres, rajæ, ſalmones, ſturiones, harengi paſſi ſive ſicci, Belgis & Anglis, Böckling/Beuckling/Bücking/nobis Bückling nominati. Unde & *Horſtius tract. de ſcorb. libro 2. obſ. med.* non mirum eſſe, judicavit, quòd in Hollandiâ, inferiorisque Saxoniæ partibus ac regionibus maritimis, ſcorbutus tàm familiaris ſit, cùm ipſum fumùm ferè devorent. 2. vel muriâ aſſervati, ut haleces inveterati, imprimis Bergenſes & Scotici grandiores, tetrum ac viroſum ſaporem habentes, *Paul. Neucranz. in exercit. medic. de harengo c. 12. p. m. 66.* murenulæ, lucii &c.

Ejusdem valoris etiam ſunt piſces in piſcinis & ſtagnis lacubusque limoſis ac coënoſis viventes, ut carpio, tinca, anguilla &c. item oſtreæ, limaces terreſtres & ferè omnia, quæ teſta conteguntur.

Idem, paucis ſaltem exceptis, judicium de leguminibus, oleribus ac aliis autumnalibus fructibus eſto.

Lactis ſimplis immoderatam uſuram nocivam eſſe iis, οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, autor eſt *Hippocr. ſect. 5. aphoriſm. 64. Galen. libro 3. de alim. f. m. 396.* Sic perſæpè etiam cum lacte à nutricibus, hoc vitio affectis, imbibitur ſcorbutus. Indoles enim ex lactis natura vitiatur, & non ſecùs, ceu heliotropium ad ſolem, ita hæc ad hoc malum flectitur. Apertiſſimè hîc *Galeni* perſonat liber, cui titulus eſt, de *animamorum & corporei temperamenti mutua conſecutione f. m. 68.*

Caſeus inveteratus & acris obſtructiones promovet, craſſosque humores reddit, juxta *Hippocr. libro 4. de vict. rat. in morb. acut. p. m. 293. Galen. libro 3. de alim. f. 397. Oribas. in collect. medicin. libro 3. cap. 3. 16. 25. p. m. 72. 79. 85.*

Sic prædulcia quoque non benè conveniunt, quia antiquiſſimi philoſophi Pythagoræ, placito τοῖς ἀπληστικοῖς τὰ μὲν

 δέρμετα

δεμεα, καὶ πικρὰ ὠφέλιμα· τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά, *ſplenicis acria & amara proſunt. Dulcia vero nocent.* Ita & lecinori nocentiſſima ſunt dulcia ex mente *Joh. Agricolæ Ammonii, comment. part. in libr. 5. Galen. de loc. affect. cap. 6. p. m. 94.*

Superfluus aceti uſus, gratiſſimum lienis alioquin pabulum, cùm vigilias inducat, inteſtina lædat, *Jul. Cæſ. Claudin. libro de ingreſſ. ad infirm. 2. cap. 26. p. m. 292.* & humores ſecundùm *Hippocr. 3. de vict. rat. in morb. acut. p. m. 386. Sennert. libro 1. med. pract. cap. 12. & paralip. ad libr. 1. pract. med. cap. 3. p. m. 107. Horſt. libro 3. epiſt. 3. 4. & 5.* exaltet ac fermentet, atque præterea corpus exſiccet ac refrigeret, ſcorbuticis utique adverſatur; & in ſpecie γυναιξὶ δὲ ἐπὶ πᾶν πολεμιώτερον ἢ ἀνδράσιν ὄξος· ὑστεραλγὲς γὰρ ἐστιν, *mulieribus magis bellum indixit acetum quàm viris: Nam utero dolorificum eſt.* Quare autem utero noceat, non verò ventriculo, qui tamen etiam pars nervoſa eſt, vide *Mercat. libro 1. de morb. mulier. cap. 2. f. 217.*

Ita & aromata ultra doſin exhibita perquam facilè hujus morbi promotores eſſe queunt.

Inter POTULENTA angvem hunc fovent

1. Vina craſſa, pendula, (die zähen Wein) auſtera (quæ *Taubmanni comment. in Plaut. Amphitr.* feſtivè germanicè reddidit, marter güte Wein) nitroſa, ♀rea, immatura, in terra argilloſa lapidoſa & minerali progenita: Item, οἶνοι θαλασσόμενοι, vina fortia per maria advecta; quæ omnia ſanitatis tenorem haut difficulter disrumpunt, & teſte *Joh. Baptiſt. Montano*, morbos peſſimos progenerant. Vide ejusdem *comment. in libr. 1. epidem. Hippocr. p. m. 184. Anton. Guainerii oper. med. de peſte, differ. 2. cap. 10. f. m. 101.*

Sic & vina dulcia copioſè ſumpta hypochondria inflare, jecur & lienem obſtruere, iisque noxiam inferre poſſunt. Confer *Sachſium in ampelograph. cap. 8. ſect. 6. membr. 2. art. 1. §. 4. p. m 401. Montagn. conſil. medic. 157. f. m. 176. & Anton. Lermiſon. conſil. medicin. annexa conſil. Barthol. & Joh. Montagnanæ f. m. 385.*

Demuſto, licet non inebriet quidem, uti teſtantur *Macrob. 7. Saturn. 6. Plutarch. ſympoſ. 3. 7. L. Cœl. Rhodigin. libro 28. cap. 38. f. m.*

1003.

1103. 1104. *Sebiz. libro 5. de alim. problem. 126. Lindan. libro 1. ſelect. medic. exerc. 10.* §. *230.* eadem tamen ſit ſententia.

2. Sunt ejusdem, & ferè majoris ponderis ac conditionis recentes cereviſiæ, non probè defecatæ, pauco lupulo conditæ, ê hordeo ſeu tritico, (qualis eſt Broyhana) in ſolo noxio proveniente, aut ex aqua impura & limoſa, aut ex minerali quadam qualitate infectâ, coctæ, quæ, ut *Horſt. loco citato p. m. 19.* ſcribit, præter alia nocumenta, flatus magnosque in corpore humores accumulant; quæ aliàs lupuli additione, qui aperiendo abſtergendoque craſſitiem obſtructionis cauſam alterat, adeoque ſangvinis defecationem, excrementitiarum partium ſeparatione adjuvat &c. corrigi potuiſſent.

Eruditiſſimè ſanè de his *Franc. Osvvald. Grembſius, in arbor. ruin. & integr. hom. p. m. 464.* Eſt aliquando, inquiens, potus „ ex ſua natura nocivus quemadmodum cereviſia alba, quæ poſt „ ſe multum fecis relinquit, unde diverſorum morborum ex ca- „ chexia ſcaturientium, cauſa exiſtit. Dolendum certè Ger- „ manorum ſtomachis per ſe debilibus, vinum invideri propter „ caritatem, quæ non ob diſtantiam loci; ſed ob aliam cauſam re- „ ticendam, provenit. Hinc mirum non eſt, tot hypochondriacos, „ tot cachecticos, tot apoplecticos, tot aſthmaticos, imò tot le- „ proſorum xenodochia reperiri. Nam nemo dubitat, vinum „ eam ob cauſam cereviſiæ anteponendum eſſe, eò, quòd hoc „ digeſtionem juvet, dum fermentorum activitates præparat, „ ſpiritus recreet, & minùs quod fecis poſt ſe relinquat, quàm „ cereviſia. „

3. Aquæ limoſæ, craſſæ & ſalſæ, uti in Hollandia & locis maritimis, quas alkaliſatas, die einen kalckigten grund haben / *Paracelſus libro de ♀ro, tract. 5. cap. 3. f. m. 395.* vocat, ad ſcorbuti generationem & ſplenis magnitudinem inſerviunt. *Aëtius tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 7.* Quapropter & nautis, qui tali plerumque neceſſitatis tempore uti coguntur, hoc malum familiare eſt.

Idem omninò de aqua nivali etiam recenſet *Th. Bartholinus,* medicorum ſeptentrionalium ſidus ſplendidiſſimum, in elegantiſſimo opuſculo, *de nivis uſu medico, cap. 34. p. m. 195.*

Sed

V. Sed progrediendum ad EXCRETA & RETENTA. Nam & hæc ſuum *ἐπίβαλλον μέρος* adportant. Δεῖ δὲ γὰρ ἢ μὴ ὑπάρχειν, inquit magnus ille philoſophiæ Princeps *tom. 2. ſect. problem. 37. qv. 4. p.m. 1039.* ἢ τοῦτο ὡς τάχιστα ἀπαλλάττεσθαι. Καὶ δεῖ οὕτως ἔχειν, ὥστε λαμβάνον εὐθὺς ἐκκρίνειν τὴν περίττωσιν, καὶ εἶναι ἐν κινήσει ἀεί, καὶ μηδέποτε ἠρεμεῖν· τὸ μὲν γὰρ μένον, σήπεται, ὥσπερ καὶ ὕδωρ τὸ μὴ κινούμενον· σηπόμενον τὲ νόσον ποιεῖ· τὸ τε ἐκκρινόμενον, πρὸ τοῦ διαφθαρῆναι χωρίζεται. *Aut enim nullum recrementum exiſtat, aut quod extiterit, quam primùm excernatur; danda opera eſt, corpuſque eſt ſemper ità regendum, ut ſimul atque excrementum admiſit, habeat, qua parte illud excernat, ſitque motui deditum, non quieti. Quod enim permanet, putreſit modô aquæ immotæ; putreſcens verò, morbum committit: At quod excernitur, antequàm vitietur, decedit.*

Fatentur ergò ſua hoc loco nomina, nimia humorum utilium evacuatio, quæ ſpiritus diſſipat, & calorem nativum abſumit; quô verò debilitatô ac infirmatô, quicquid deinceps ingeſtum fuerit, abſque ulla perfecta coctione, materiam ſcorbuticam adauget.

Exercitium veneris intermiſſum vel immodicum, & cum hac lue infectis commiſſum, etiam non excludendum: Τὰς σφοδρὰς ἐπιθυμίας οὐκ ἐπαινῶ, inquit *Ægineta libro 1. cap. 35.* ἀλλὰ κελεύω τότε δὴ πλέον ἀντέχειν καὶ μάλιστα οἷς νόσημά τι ἐστιν. *Vehementes Veneris appetentias non laudo, quæ tunc magis reniti jubeo, & maximè eos, qui morbum aliquem habent.* Et τὰς ἐπαυξέας νούσους μίξιν σκληραίνειν, *increſcentes morbos coitum indurare*, olim *Hippocr. 6. de morb. popular. ſect. 5. p. m. 358.* docuit. Quapropter tunc temporis

deſine matronas ſectarier: undè laboris
plus haurire licet, quàm ex re decerpere fructus:

Vel ut artificioſiſſimus epigrammatum ſcriptor *M. Val. Martialis libro 2. epigram. 47.* occinit

Subdola famoſæ moneo fuge retia mœchæ.
Nam; *Impia ſub dulci melle venena latent.*

Menſium

Menſium & Hæmorrhoidum ſuppreſſio, quantum hîc valeant, nulli ignotum. Sangvis enim ſic refluit ad alia nobiliora membra, eademque ſua malignitate vitiat ac commaculat. *V. Schneider. 3. de Catharrh. ſect. 1. cap. 8. p m. 278. & p. 329.*

Ita & inhibita ſecum alvi vitioſarum dejectio, periculō non vacat. Nam ἡ κοιλίης νάρκωσις ἡ τῶν ἄλλων ξύγχυσις, ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη. *Ventris torpor univerſorum confuſionem, vaſorumque immunditiem adfert,* inquit Senex noſter *6. de morb. popul. ſect. 3 p. m. 356.*

Urinæ retentio, præterquàm, quòd huic morbo fores aperiat, lethalis aliquandò exiſtit. Inſignis quidam mathema-„ ticus (quem nonnulli Tychonem de Brahe fuiſſe autumant.) refert ê Sennerto *Dn. D. Moebius in fundam. medic. phyſiolog. cap. 18. p. m. 450.* cùm in convivio potû onuſtus inter fœminas ſede-„ ret, nec præ pudore urinæ reddendæ gratiâ ſurgere vellet, in „ tantam diſtentionem veſicæ à copia urinæ incidit, ut poſteà „ volens lotium reddere, tamen non poſſet, in inflammationem „ veſicæ incideret, & brevi vitam cum morte commutaret. „

VI. Deviaſſemus fermè, redeat in pulverem eqvus. Feſtinandum enim ad ultimum rerum non-naturalium titulum, qui agit de ANIMI PASSIONIBUS & PERTURBATIONIBUS, quæ hydram hanc Lerneam concatenatis viribus in ſcenam producunt.

Primates autem hîc eſſe videntur TRISTITIA ET METUS, quæ conſentientibus omnibus atros pariunt ſuccos, ſangvinem incraſſant, ſicque ipſius circuitum impediunt.

Interim & reliqua παθήματα non minùs huic affectui hymnum cantant. Natura enim cogitationibus obtemperat, vehementibusque animi deſideriis, & affectô ſpiritu corpus afficitur quoque, in quo ſpiritus deliteſcit. Atque ſic, quæ quaſi ſpontè (ut *Kotzackius de hæmorrhagiis, cap. 9. libro 2. p. m. 599.* differit) delinquimus, inviti luimus. *Sebaſt. Naſii* verba, quia multùm lucis materiæ noſtræ adferunt, ex Nobiliſſimi *Dn. D. Schneideri* Præceptoris mei in academia Wittebergenſi, ætatem honoratiſſimi, *libro 5. catharrh. cap. 7. p. m. 274.* huc transferre volui. Ita autem ille differit.

Motus, qui ex ſe mali ſunt, quantumvis leves, ſemper afficiunt; cujusmodi eſt metus, triſtitia, acedia, odium, invidia, zelotypia, intenſi amoris deſperata fruitio, vel rei ſummè amatæ amiſſio, quæ omnia triſtitiam penè inevincibilem inducunt; Sed inter omnia timor mortis maximè excruciat. Et quicunque aliquô ex his animi affectibus detinentur, viſcera ſibi contorqueri, & quaſi à ſerpente erodi ſentiunt. In nullo delectari poſſunt, cibos non deguſtant, ſomnum capere nequeunt, nec in ullo quietam habere vitam negligunt, & ſolo dolore & luctu delectati. Ex quibus quis neſcit, ſpiritus reſolvi, temperiem corrui, & omnia ad interitum iri? Quare neceſſe eſt, ex quacunque animi paſſione moleſta, ſi fixa ſit & diuturna, vires & naturalem viſcerum temperiem deſtrui, & cauſarium ægrotare, ægrotantem verò in vitæ diſcrimen conjici; ê quibus non rarò accidit, cùm in judicando, tùm in medendo medicos decipi, quemadmodum ob animi latentes paſſiones, ſive præexiſtentes, ſive de novo advenientes, non ſolùm vires multùm minuuntur, ſed morbi natura variatur, & qui ſalutares ſunt, exitiales; & qui benigni videbantur, maligni fiunt, & furtim vitam adimunt &c.

Hactenus clariſſimus Autor, & profectò eleganter admodùm ac verè, adeò, ut ejusdem ineſcati acroamate meritò hîc acquieſcimus, illique calculum noſtrum lubentiſſimè annumeramus.

CAPUT VI.

De cauſis præter-naturalibus.

NOn ſicco, ut ajunt, præterire poſſumus RES PRÆTERNATURALES, quæ ſcorbuto fortiſſimè calcar addunt, ut eò ferociùs in viſcera anteà debilitata ſæviat, fomitem aſcendat, viresque ſuas horribiles effundat.

Suſtinent autem culpam febres quartanæ, item tertianæ diuturnæ, ut & tertianæ vernales, quæ poſt ſeptimum paroxyſmum in quotidianam degenerant, ac aliæ febres ardentes, mali-

gnæ &c. de quibus *B. Dn. D. Sennertus libro 3. prax. med. p. 567. & tract. de ſcorb. p. 61. §. 8. & libro 2. de febr. cap. 17. p. m. 549. Th. Willis, cap. 4. de febr. p. m. 147.* dilucidiùs egerunt.

Hûc pertinet etiam corporis cachexia, quæ teſte *Phil. Grüllingio cent. 1. curat. 79. p. 190.* ſæpiſſimè in ſcorbutum abit.

Malum hypochondriacum, ſtudioſorum, eorumque qui vitam ſedentariam transigunt, familiariſſimus & ingratisſimus advena, ferè ſemper ſcorbutum ſibi comitem adſciſcit. Vide *Nathan. Highmor. de affect. hypochondr. cap. 1. pag. m. 62. & 66. Henr. Barnſtein, de mal. hypochondr. cap. 4. Matth. Martin. in doctisſimo ſuo de morb. meſenter. tractatu p. m. 177.*

Hoc modô & reliqui morbi, qui obſtructiones cumulant & fovent, vitioſis ac feculentis humoribus feneſtras aperiunt, januas verò occludunt, pro hujus mali compatribus æſtimari ac haberi poſſunt.

CAPUT VII.

De differentiis.

PErveſtigatis ita cauſis pro catarcticis, cymbam noſtram ad differentiarum mare propellimus: quæ etſi ſint ſatis conſpicuæ, majoris tamen σαφηνείας ἕνεκα, ne ordinis conſvetudo periclitetur, easdem hîc recenſebimus. Sumuntur autem 1. â genere. 2. â ſubjecto. 3. â cauſis.

Ratione generis, alius eſt levis & ἐν ἀρχῇ in principio ac imperfectus: Alius ἐν αὐξήσει in augmento & creſcens: Alius ἐν ἀκμῇ perfectus, inveteratus, ac jamjam confirmatus. Alius endeminus eſt, alius ſporadicus &c.

Ratione ſubjecti, alius eſt univerſalis ſive totius corporis; alius particularis ac in certis partibus reſidens, & quidem, vel in liene, vel in hepate, vel in meſenterio &c. Alius curabilis eſt, alius incurabilis &c.

Ratione cauſæ, alius per πρωτοπάθειαν corpus affligit; alius verò per δευτεροπάθειαν. Alius cum ſemine â parenti-

bus communicatus; Alius adſcititius eſt, & cum lacte nutricis inſtillatus; Alius â contagio dependens; Alius ê poſthabitis diætæ regulis contractus: Alius denique cum aliis morbis permixtus, ac ab iis invitatus quaſi, hominem morti libans & conſecrans.

CAPUT VIII.

De ſignis diagnoſticis.

SI quid eſt, quod medico gloriam pariat, eumque è vulgô extollat, hæc ſanè de ſignis doctrina erit. Quantam enim utilitatem adferat, vix dici poteſt; imò *ὀρθῆς θεραπείας πηδάλιόν ἐστιν ἡ διάγνωσις, internotio rectæ curationis baſis & fundamentum eſt*, juxta *Trallian. libro 9. cap. 1.* *εὑρεθεῖσαι γὰρ αὗται τὴν θεραπείαν οὐ στοχαστικῶς ἀλλ' ἐπιστημονικῶς ἐνδείκνυνται; hæ enim* (nimirum affectiones) *ubi inventæ fuerint, curationes non conjecturaliter, ſed ſcientificè indicant*, ſecundum *Galenum 2. de compoſ. medic. ſec. loc. f. m. 1180.* Propterea & nos, absque ullo verborum luſu hæc in ſigna intenti eſſe volumus.

Fateri autem, cum *Foreſto*, medicarum obſervationum conſignatore diligentisſimo, (*Bernh. Suev. tract. de inſpect. vulner. lethal. & ſanabil. part. 1. cap. 2. pag. m. 6.*) *libro 20. obſerv. 11. & Horſtio de ſcorb. ſect. 1. §. 17.* ſtatim ab initio nos necesſitas cogit, ſigna hujus doloſi vertumni, quæ cum aliis morbis ferè communia, & non niſi artificioſisſima conjectura dignoſci queunt, perquam difficilia eſſe, adeò, ut, quod in proverbio eſt, galeatum nempè nimis ſerò duelli poënitere, jamjam & apud nos ferè verum animadvertamus. Attamen, quia *δύσκαλα τὰ καλά*, pedem retrò referre nolumus, ſed potiùs omni ſedulitate ac ſtudio eò videbimus, quomodo multiformis hæc beſtia dignoſci ac tandem extirpari posſit.

Ut igitur voto noſtro ſatisfaciamus, & malum hoc, quod multi tanquam colubrum longo tempore in ſinu fovent, antequam minima de eo ſuſpicio ipſis innoteſcit, eò citius & cer-

tiùs

tiùs deprehendamus, ante omnia ad *Joh. Damaſc. aphoriſm. 49.p. m.122.*& celeberrimi,atque in ſcorbuti cognitione & curatione exercitatiſſimi *Sennerti* monitum,*libro 3. pract. med.p. 569.* reſpiciendum,& inquirendum erit: 1. An patiens in tali regione vel aëre,ſcorbuto progignendo convenienti, vivat aut vixerit? 2. An tali diæta,victu ſcilicet craſſo ac crudo,uſus ſit? 3. An ipſius parentes huic malo obnoxii fuerint? 4. An ſit ſpleneticus? 5. An hypochondriacis paſſionibus laboraverit. 6. An animi παθήματα eum exerceant aut exercuerint? &c. Deinde diligenter obſervandum, an 7. juvaminis aliquid ex antiſcorbuticorum medicaminum adhibitione ſentiat? 8. An ſymptomata, quibus patiens vexatur, ſingulis, binis vel ternis diebus ingraveſcant? 9. An æger de gingivarum pruritu; item de virium ſolummodò langvore, & laſſitudine ſpontanea, Er were nur matt/wolte ſonſt über nichts klagen; item, de reſpiratione difficili,absque tuſſi tamen, ſtertore ac ſibilo; item, de crurum gravitate, die Füß wolten ihn nicht tragen/er könne keine Treppen/keine Berge ſteigen ꝛc. querelas faciat?

His probè exploratis, deveniendum ad urinæ & pulſus examinationem, ê quibus ſolis aliquando, juxta nonnullorum opinionem, hujus cognitio haberi poteſt.

Variant autem perſæpè, *Eugaleno* teſte *p. 66.* Urina quidem, cùm ab initio ſit craſſa, alba ac turbida, poſtridiè verò aquea & tenuis; mox citrina rurſùm vel ſubrubea & inſtar lixivii, cum ſedimento laterum farinam referente. Interdum tenuis & citrina præcedit, craſſa & rubra verò ſuccedit. Nonnunquam exiſtunt nigræ, vel tale in fundamentum deponunt ſedimentum, vel etiam nigræ fiunt cum obſcuro pallore. Hujusmodi autem patientes moleſtiori ſiti, & graviori caloris ſenſu, ac linguæ ariditate vexari ſolent. Aliquando materia ſalſa, limoſa ac ♀rea matulæ ſeſe adponit: Hæc, quemadmodum ſalis fixi & partium feculentarum ſat luculentum eſt indicium, ità & ſcorbuti, præſertim ſi nulla aut parum exigua ſitis adſit, mentionem faciunt. Evolvatur Magnifici Dn. Præſidis *epit. inſt.p.333. Eugal.p.33. Sennert.libro 3.pract.med.p. 576.*

Breviſſimè de his *Eugalenus* modò citatus ſcripſit, "& judicium ſuum dedit: In quorum, inquiens, urinis majora "putrefactionis indicia inſunt, quàm foris ex calore & ſiti ap- "paret, morbo lento exiſtente, & ad nullius veteribus cognitæ "febris typum accedente, de his certò tecum ſtatuere potes ac "debes, â ſcorbuto tales detineri &c.

Pulſus, teſte Rolfincio *in epit cognoſc. & curand. affect. partic. pag. 253.* eſt debilis, inæqualis, parvus & ferè ſemper vermicularis; vel magnus & durus, absque inflammatione tamen. Major & fortior verò exiſtit imminente animi deliquio, propter ſummam ejus neceſſitatem, & quòd cor omnibus viribus craſſos ac malignos vapores ejicere ac expellere allaboret.

Creſcente morbo, creſcunt & ſymptomata, quæ tantò majora ac graviora redduntur, quantò magis humorum augetur copia.

Gingivæ intumeſcunt, laxæ ac flaccidæ fiunt, & ad leviſſimum attactum ſangvinem ſeroſum & ſalſum, cum abominabili aliquando oris foetore effundunt. Ipſi dentes nigredinem & ſiderationem patiuntur, atque ſic ſuo orbati munimentô, facillimô negotio ê ſuis alveolis absque dolore cedunt. Salivæ proventus adeſt uberrimus, *Th. Barthol. in anat. reform. libro 1. cap. 16. p. m. 109.* & tàm malè olet

— — — quàm non fullonis avari
teſta vetus mediâ quæ modò fracta viâ.

Secundùm *Martial. libro 6. epigram. 93. p. m. 205.* Facies evadit pallida ac livida, ut etiam labia palpebræque interdum, juxta *Eugalen. obſ. 8. 18. 19.* Sangvis enim ſub cute nigris & ichoroſis permiſcetur humoribus. Qualis autem humor, talis color in cute effloreſcit, atteſtante *Th. Barthol. in anat. reform. libro 1. cap. 2. p. m. 14.* Δίκαιον, inquit, *Hippocr. libro 6. de morb. popul. ſect. 4. pag. m. 358.* ὡς ἂν ἔχῃ ἡ τροφὴ, οὕτω καὶ τὸ ἔξω ἐπιέναι, quod non ineleganter interpretatus eſt eruditiſſimus *Ballonius in defin. med. p. 73.* *Juſtum eſt, talem in corpore colorem eſſe, qualis eſt materia, ſuccus & alimentum in venis.*

Ingra-

Ingraveſcit etiam reſpirationis difficultas & anguſtia, adeò, ut ægri vix ſciant, quò ſe vertant. Hinc medicis explorantibus locum affectum digitis ſub diaphragmate oſtendunt, conquerentes: Es wäre ihnen angſt und bang / ſie müſten verzweiffeln: Sie wüſten nicht / wo ſie für Angſt bleiben / oder auff was für ſeiten ſie ſich der Ruhe wegen hinkehren und wenden ſolten ꝛc. Imò ſæpè accidit, ut dum patientes ſe movere vel erigere conantur, caliginem oculorum ſentiant, & ſubitò in lipothymiam incidant, ac ſi ſtatim animam efflare vellent. Quod & nonnullis, teſte *Foreſto & Eugaleno* (qui lipothymiam pro pathognomonico ſigno hanc ob cauſam habent) contigit.

Hiſce ſuperveniunt graviſſimæ ventris torſiones, crurum ad deambulandum, corporisque onus portandum, impotentia. Macularum & liturarum non tantùm in cruribus, ſed & in collo, dorſo, lumbis & brachiis efflorescentia, primùm rubicunda, pulicum morſibus haut abſimilis; deinde fuſca, livida & purpurea, nigris violis obſcurior. Quæ tamen maculæ modò evaneſcunt, modò iterum erumpunt, & ad annos multos perdurant. Hîc ex *Sal. Albert. obſerv. theſ. 119.* notandum, lituras haſce aliquando etiam in ſquamulas quaſi reſolvi, quæ à cute non ſecùs, ac in eriſypelate ſeparari queunt. Vide *Joh. Schenkii, libr. 6. obſervat. medicin. 243. p. m. 562. & ſeqv.*

Dolor, qui circa manus & digitorum extrema, hypochondriorum latera, item, circa lumbos, talos, juncturas, tibias & pedum plantas exiſtere ſolet, eſt obtuſus, nonnunquam tenſivus, mordicans, pungens, erodens, tundens, & communiter ὀστοκόπος in profundo latens, ſicuti, in febri quartana & morbo gallico affectis, videtur. Exercet autem tyrannidem ſuam plerumque noctu, ità, ut ne per horulam habeant quietem ægri, ſed potius, malleo quaſi crura & brachia ſibi concuti, conquerantur.

Adeſt inſuper tumor pedum oëdematoſus, qui, ſi digito premitur, ejusdem veſtigia retinet ac exprimit. Interdum verò planè abeſt intumeſcentia, & loco hujus crura atrophia laborant, adeò fortiter, ut præter oſſa ferè nihil appareat.

Sub ſcabie hoc malum præprimis etiam latere gaudet, ubi

ubi dein ex humorum vitioſorum ad interiora recurſu gravioribus ſymptomatibus anſa datur. Ità refert *Sennertus*, ſtudioſum quendam ex hoc ad interiora humorum refluxu, coëcum fuiſſe factum, ſed adhibitis antiſcorbuticis viſum intra triduum recuperaſſe.

In jam confirmato ac inveterato ſcorbuto multò ſæviora accidentia concurrunt; ut & plurimi alii morbi, quibus hic πολύμορφ@ ſe intermiſcere, & quos ſimulando repræſentare ſolet. Urinæ foëtent & putent. Dolores adſunt varii, longi & explicatu difficiles, nunc in hanc, nunc in illam partem ruentes. Ventris dolor aliquando adeò pertinax & vehemens eſt, ut omnia ſibi dilacerari ac divelli exiſtiment ægri. Hinc diſtenſionibus & cruciatibus hiſce interdum rumpitur peritonæum, *Eugal p. 63*. Interdum verò umbilicus cum ventris depreſſione, juxta *Joh. Drawiz. in tract. de ſcorb. p. m. 269.* ob meſenterii ac inteſtinorum convulſionem, introrſum retrahitur, & quaſi lumbis affixus conſpicitur, notante *Sennerto, libro 3. med. pract. p. 581.*

Differunt autem hi dolores à doloribus colicis. 1. Quòd iſti hiſce ſunt diuturniores, & nonnunquam ad 40. dies, & ultrà ſe extendunt, atque non ſolùm coli ductum circumſcribunt, ſed modò hanc; modò illam abdominis partem, quandoque & univerſum infimum ventrem infeſtant. 2. Quòd venter non ſufflatus, ſed excavatus quaſi conſpicitur. 3. Quòd adeſt diſtenſionis ſecundùm longitudinem perceptio, inteſtini recti ſurſùm revulſio, ut nihil planè ſecum prodeat, ſed & aditum potiùs glandibus ac enematibus prohibeat, ut non niſi vi quadam applicari queant. Increſcunt etiam dolores juxta hypochondria ob interclusum flatuum exitum, cruciatibus ferè intolerabilibus, qui & citiùs non deſinunt, donec maculæ prorumpunt.

Non rarò dolores æmulatur hic morbus nephriticos, vel ob meſenterii cum lumborum vertebris connexionem; vel quòd materia ſcorbutica per vaſa emulgentia ad renes perveniat.

Non-

Nonnunquam vitioſa hæc diſpoſitio ſæpè per modum catharrhi lumbis ſeſe inſinuat, à ſcapulis ſenſim ad lumbos, & interdùm ad os coxendicis ſerpendo, ut elumbes quaſi videantur ægri, & vix progredi ac loco ſe movere queant.

Quidam graviſſima cephalalgiâ, plerumque circa veſperem cum febrili calore affici ſolent; quæ tamen finitis ſudoribus matutinis iterum evaneſcit ſponte.

Nec deeſt odontalgia, quæ pro more ducis ſui ſe maximè vagabundam præſentat, & modò hunc, modò illum dentem aggreditur & relaxat; qui tamen interdum rurſus per ſe diſcuſſis, doloribus ac tumore, firmatur; interdum verò continuatur, & per plures ſæpè hebdomadas menſesque patientes vexat & excruciat.

Arthritis, quæ ſcorbuto ſe adjungere ſolet, vaga eſt, nunc in hanc, tunc in illam partem labens & circumrepens. Vera autem arthritis fixa eſt, locumque non mutat, ſed potiùs ad ſolutionem usque permanet. De illa & hoc præter alia notandum, quòd plerumque cum levi paralyſi, mox ceſſante, mox iterum redeunte, conjuncta ſit.

Pleuritis, quam perſæpè ſcorbutus ſimulat, â verâ ſic diſtingvitur: Quòd illius dolor equidem gravis eſt, ſed non continuus: item, quòd absque febri, vel admodum lentâ, item, absque exſpuitione ac tuſſi patientes defatigat. Deinde, quòd pulſus, ut in vera pleuritide, non eſt durus, ſed mollis & inæqualis. Tandem, quod & reſpiratio ipſa non adeò difficilis ac frequens eſt, quàm in verâ.

Nonnullis quoque calor præter naturam, febris præſertim quotidianæ, cujus certa intervalla, ſed non ejusdem proprietates, ſervat typum, mentiens, moleſtus eſt. Supervenit noctu plerumque absque rigore tamen, horrore vel frigore, & durat ad tempus matutinum, peracto interdum ſudore. Aliquando tam effrænis etiam eſt ſangvinis orgaſmus & calor efferus, ut cutis & vaſa ſanguinem, torrentis inſtar, ſponte nonnunquam effundant, non aliter, quam ex vena ſcalpello diviſa. Confer. *exam. diatr. Thom. Willis. de febr. Edmundi de Meara, cap. 2. p. m. 18. 19.*

Adeſt alvi obſtructio, eaque tanta ſæpè, ut vix quarto vel quinto die reſeratur. Et ſcribit de ſe ipſo *Muſa Braſſavolus, libro de purg. cap. 6.* quòd duodecim dierum ſpatio nihil excreviſſet, plurimùm tamen ſudoris & urinæ emiſiſſet. Accidit autem hoc, *vel* ob debilitatam vim expultricem; *vel* ob materiæ craſſæ ac ♀reæ ad alia corporis membra averſionem; *vel* ob inteſtinorum revulſionem, & ſurſum factam retractionem: De qua ſupra.

Econtra & alvi fluxus tàm diuturnus quàm nocturnus etiam evenire ſolet; cujus tamen facilis eſt â cæteris diſtinctio, & quidem 1. â lienteria, quòd nullatenùs cibi incocti ac crudi rejiciuntur. 2. diarrhæa, quòd feces jam compactæ, copiâ cibum aſſumptum tranſcendentes, coloris modò herbacei, modò cinericii, dejiciuntur: jam verò liquidæ, confertim & in majori etiam copiâ, absque ulla ægrotantis alleviatione, excernuntur. 3. â dyſenteria, quòd absque dolore, cum aliis ſcorbuticis ſignis, excrementa ſegregantur.

Inſuper, docente *Reuſnero p. 374.* ſcorbuticis quoque fœminis familiare ſolet eſſe profluvium ab utero aquoſum & ſeroſum.

Vexantur nonnulli etiam vomitu, ſive ut *D. Jonſton. in Id. univ. medic. pract. libro 6. tit. 7. cap. 2. part. 3. p. m. 595.* loquitur, inani potius vomendi conatu, qui nullam ventriculi gravitatem, dolorem, intemperiem, aut aliud quid horum anteceſſorem habet. Hujusmodi vomitus quoque præter rationem remittit, & præter ſpem ex improviſo recurrit. Ubi & hoc ſingulare occurrit; quòd lacticinia, quæ aliàs hoc in paſſu ventriculo valdè ingrata eſſe ſolent, gratiſſimum tamen hîc obſonium præbeant.

Ita & ſæpius dura & varicoſa tubercula in toto corpore excreſcunt; ut etiam magni tumores, tùm in inguine, & glanduloſis corporis partibus, cùm mediis muſculorum ſpatiis inhærentes. Hæc tubercula ægris quieſcentibus minimè dolent; ambulantibus verò, ſive crura propendentibus, exquiſitiſſimos dolores ad animi deliquium excitant. De quibus obſervandum,

dum, quòd hæc omnia, ſi citò proveniunt, & mox evaneſcunt, paralyſin præſagiant. Vide *Jonſton. loc. alleg. p. m. 598.*

4. Diſcernuntur autem tubercula hæc à tumoribus venereis, 1. Quòd in illis apertis talis materia pingvis lardo infumato, quoad colorem non diſſimilis, neutiquam reperitur. 2. Quòd tubercula ſcorbutica vitam exhibent tædioſam ac moleſtiarum plenam: Gallica verò luxurioſam.

Paralyſis, quæ ſcorbuticos extorquet, à vera diſſidet, 1. Quòd in illa motus aliquis remanet. 2. Quòd non eſt continua, ſed interrupta; ità, ut qui heri vix membra movere potuit, hodiè levi nixus adminiculô, iisdem optimè utatur, & paulò poſt iterum privetur quaſi. 3. Quòd non ſubitò invadit: Tentat enim prius paulatim, antequam ſedem figit. 4. Quòd ſtupor præcedens non eſt ità fixus & diuturnus, quemadmodum in vera paralyſi, ſed momentaneus ſaltem. 5. Quòd ferè ſemper arthritidem conjunctam habet, quæ tamen in communi abeſt. 6. Quòd facilius, & ſæpè intra paucos dies, curatur verâ. Vide *Sennert. libro 2. inſtit. medic. part. 3. ſect. 2. cap. 5. pag. m. 436.*

Quandoque & hydrops huic malo ſe aſſociat, qui tamen facilè ob majorem reſpirandi incommoditatem, præcipuè poſt purgantium uſum, durioremque manifeſtum tumorem digiti impreſſionem ægrè admittentem &c. fucatus deprehenditur.

Quibusdam exoriuntur tùm in cruribus, cùm aliis in partibus ulcera, plerumque ſicca, neque pus neque ſaniem fundentia: Quæ & ſæpiùs ita maligna & contumacia ſunt, ut gangrænoſa fiant, ac neque ferrum inflictum, neque admotum cauſticum, ſentiant. Imò, niſi maturè ſibi æger proſpicit, mortificatio ſæpè totius membri hiſce ulceribus affecti ſequitur. Quæ etiam neglectâ amputatione mortem minatur & accelerat. Quale exemplum de Viro quodam magnifico & conſultiſſimo, qui extremum hoc remedium reſpuebat, annotavit *Joh. Tarnovius in ſua diſput. inaugur. Wittebergæ habita, an. 1652. §. 55.*

Dignoſcitur autem hæc ſcorbutica gangræna & ſphacelus à communi; quia illa absque ulla prævia cauſa adeſt, & pa-

tientem tardiſſimo & planè ſicco pede, absque foëtore tamen inſequitur; & quidem hoc modo, ut, ſi unum hodiè ſaltem apprehenderit membrum, craſtino ſucceſſu alterum ſive oppoſitum invadat, ſicque hominem communiter, aut per apoplexiam, aut per epilepſiam morti dedicet.

Non rarum quoque malum ſcorbuticis eſt ſudor copioſus, ſub molliſſimis ac leviſſimis tegumentis hyeme etiam proveniens, adeò, ut eorundem induſia lixivio quaſi immerſa videantur. Rejecit hujus cauſam ſagaciſſimus anatomicus *Bartholinus* in vaſa lymphatica, ſero hoc ſcorbutico tantoperè impleta, *cap. 7. de vaſ. lymphat.* Confer *Meſſ. aur. exhib. anat. Sib. Hemſterhuis. p. m. 245.* Imò, prout inſignis noſtræ memoriæ, & temporis philoſophus & medicus, Excellentiſſimus *Joh. Theodor. Schenckius* Athenæi hujus Salani Profeſſor medicinæ celebratiſſimus &c. Dn. Præceptor & Promotor ſtudiorum meorum vitâm colendiſſimus, in ſua *humorum corporis humani hiſtoria generali, cap. 13. p. m. 96.* oſtendit, totus ſanguis hoc in affectu aliquando ſereſcit & colliqueſcit.

Prægreſſum hunc ſudorem atrophia excipit, quæ ægrum ſceleti inſtar erecti ac exſiccati repræſentat, atque ſic præter oſſa perſpicua ac translucida vix quicquam oculis videndum offert.

Interdum febribus ſeſe involvit, earundemque, præſertim continuæ & intermittentium typum monſtrat. Interdum autem nullius typi curam habet, & modò bis, ter & quater in die infeſtat: modò poſt tertium, quartum, quintum, ſextum & ſeptimum diem ægrum exagitat. Prodit autem ſemetipſum hic leo ungvibus ſuis, dum præter febrium communium morem, ultra ſex & ſeptem horas frigoris horrorem extendit, pulſum ſcorbuticum, tardum & debilem ſcilicet ἐν ἀρχῇ, magnum & durum ἐν ἀκμῇ, inæqualem verò ἐν παρακμῇ, efficit, & ita ratione acceſſionis, invaſionis & deceſſionis plurimùm variat.

Præter hactenus recitatas paſſiones & multivarias torturas ſcorbuto quoque haut infrequentes eſſe ſolent eryſipelas, die roſe oder das rothlauff/ſpaſma, convulſio, deliria & alii affectus ſoporoſi, quorum omnium numerum, ut & plura alia ſymptomata.

ptomata (quia nullus ferè morbus exiſtit, cujus ideam lethifera hæc beſtia non imitari; aut cui ſeſe non aſſociare gaudeat) prolixiùs conſignarunt feliciſſimi ejusdem antagoniſtæ, *Sennertus, Eugalenus, Severinus, Horſtius, Ronſeus, Reuſnerus, Foreſtus, Brunnerus, Petræus, Hornius, Rotenbeccius, Albinus, Sal. Alberti, Langius, Bricæus, Wierus, Echtius, Stubendorffius, Joſeph. Schmidius*, & alii plures, quos conſulat, cui volupe. Nobis enim ad alia properantibus non vacat.

Intereà, & hoc ultimò monendum: Symptomata hæc in ſingulis ſubjectis non apparere, ſed potiùs in hoc individuo illud, in altero iſtud, pro variâ ſcilicet cauſarum & corporum diſpoſitione, obſervari. Quæ accidentia etiam eò graviora, & deteriora redduntur, ob influentis materiæ vitioſæ copiam & malignitatem: remisſiora ac benigniora verò, ob minùs peccantem qualitatem. Evolvantur *Höchſtetterus obſerv. medic. dec. 4. caſ. 10. Horſtius libro 3. epiſt. p. 290.* & alii.

Signa Subjecti, (cui nam viſceri laboranti ſuos ſcorbutus debeat natales, num hepati ſcil. lieni &c.) optimè ex harum affectarum partium ſingularium examinatione, conſtitutione & anteà commisſis erratis depromi poſſunt.

Ita etiam ſigna Cauſæ haut difficulter ê peccantium humorum ſignis; itentidem, temperamento, regione, victus & vitæ genere, colligere licet.

Abſolutis ſic iis, quæ morbi hujus διάγνωσιν patefaciunt ac detegunt; quæſtionem adnectere lubet, *undenam horum in hoc pesſimo morbo occurrentium ſymptomatum lubrica varietas dependeat & originem trahat?*

Nos brevitati ſtudentes, ê ſale potisſimùm, non negatã tamen occulta quadam qualitate, oriri putamus. Etenim hoc ipſum, docente *Joh. Dan. Majore, in diſſert, epiſtol. ad Phil. Jacob. Sachſ. de cancr. & ſerpent. petrefact. §. 16. p. m. 173.* omnium mutationum cauſa eſt, &. ut ſuperiùs ê *cap. 3.* demonſtravimus omnia ſolvit & ligat, ac inſtar Prothei mutabilis varias induit figuras, nosque virtute ſua variè exercet, atque jam titillat & exhilarat; jam verò urit, pungit, elevat ac deprimit, & ita, ut

Kotzackius in libri ſupra nominati præfatione ſcribit, valdè fragile, mutabile & periculoſum vinculum eſt, quo mediante huic mundo ejusque legibus, mundusque vice verſa nobis adhæret.

Eleganter laudatiſſimus hic autor loco citato, quærit, & "opinionem noſtram ſtabilitat: Quid, inquiens, aliud ſunt humores nutritivi, ex quibus corpus hoc formari aſſentiris? vel "excrementii, membra depaſcentes? quam ſalinæ virtutes & "corpora; jam nos exhilarantia, jam turbantia ſuis variis motibus, tincturis & ſignaturis. Quid ſunt morbi, qui variis modis "in nobis ſæviunt, & non ſaltem ſpirituum animalium rempublicam turbant, ſed & mentibus noſtris, imaginibus horrendis, monſtroſis, triſtibus moleſti exiſtunt, nosque & ad animalia, & ad humana officia exequenda, ineptos reddunt? Corporeitates revera ſunt terreſtres, talibus æquè, nempè terrificantibus præditæ ſpiritibus; quamvis externæ eorum ſignaturæ varient, & aliæ ſint ponderoſæ, fluxiles vel immobiles; aliæ pondere omni deſtitutæ, vel calidæ ſaltem & frigidæ, calefacientes & frigefacientes; aliæ omninò, quoad ſenſus menſuram tenebricoſæ; attamen ideis millefariis, imaginationi oneroſæ, quamvis ſint innoxiæ. Lege inſuper hujusdem *tract. de hæmorrhagia, libro 1. cap. 8. p. m. 241. & ſeqv.* & *Ord. & meth. medic. ſpecial. libro 2. ſect. 3. cap. 11. p. m. 68. 69.* in rerum harum natura verſatiſſimi viri *Dn. Rolfincii*; ut & acutiſſimi Angli, *Th. Willis diatr. de ferment. cap. 2. p. m. 9.*

Aſt, ut modò dictum, occulta etiam qualitas negari nequit; quippe, quæ ſola ad plures affectus producendos ſufficit, & jam conſentientibus omnibus verè philoſophis, ipſaque experientiâ, mitius in hoc; gravius autem in illud ſubjectum, vim ſuam malignam ac noſtræ naturæ inimicam effundit & exſerit. Nos ne falcem in alienam mittamus meſſem, lectorique benivolo tædium cauſemus, hîc pennam digitô reprimimus. Horum autem cupido doctiſſimi *Fernel. de abdit. rer. cauſ. Sennert. de conſ. & diſſ. chymic. Sperling. de morb. tot. ſubſtant.* &c. tractatus ad lectionem ſuademus.

CA-

CAPUT IX.

De ſignis prognoſticis.

Τὸν Ἰητρὸν δοκέει μοι ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. *Medicum adhibere prænotionem, optimum eſſe mihi videtur.* Ita judicabat olim medicorum polus, *Hippocrates*, ab initio ſtatim libri ſuarum prænotionum, *p. m. 401.* Et non abs re profectò. Nam hac prognoſeos luce (ut eleganter admodum ſcripſit Magnificus *Dn. Præſes libro 3. ord. & meth. med. ſpec. comm. ſect. 2. cap. 1. p. m. 180.*) irradiatus medicus, in commentatoria ſpeciali medicina, certior fieri poteſt, an remedia rei præter naturam ſignis diagnoſticis patefactæ applicare, operæ ſit pretium; an verò ceu incurabilis æger ſit relinquendus & deſerendus. Imò magni momenti hæc doctrina eſt, & hâc ſola medicus famæ ſuæ & autoritati optumè conſulere, vulgique calumnias evitare poteſt, *ne* ut Ἰητρῶν Cicero *Corn. Celſus libro 5. rei medic. cap. 26. p. m. 146.* ait, *illum occidiſſe videatur, quem ſors occidit.* Interim autem dum futura præmonet, pericula prædicit, eademque idoneis remediis præcavet, non tantum magnum & admirabilem apud patientes ſe reddit, ſed & numinis inſtar ab omnibus colitur & veneratur.

Verumenimverò, quia morbus hic peſſimi & admodum fallibilis eſt moris, ac proinde ſæpius factum, ut prudentiſſimi etiam medici in eo, quoad prædictionem decepti fuerint, noſtrum erit, cautè procedere, Coique monitum *libro 2. prædict. p. m. 413.* obſervare. Συμβουλεύω δὲ ὡς σωφρονεστάτους εἶναι, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τέχνῃ, καὶ ἐν τοῖσι τοιούτοισι προῤῥήμασι γνόντας ὅτι ἐπιτυχὼν μὲν ἄν τις τοῦ προῤῥήματος θαυμασθείη ὑπὸ τοῦ ξυνιέντος ἀλγέοντος. Ἁμαρτὼν δ' ἄν τις πρὸς τῷ μισεῖσθαι, τάχ' ἂν καὶ μεμηνέναι δόξειεν. *Conſulo autem, ut quàm prudentiſſimè agant, tum in relliqua arte, tum in hujuſmodi prædictionibus, illius probè memores, quòd ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentiâ*

præditum,

præditum, in admiratione fuerit. Si verò quis aberraverit, ſupra hoc, quòd odio habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur.

Priusquam verò prognoſeos indicia aggrediamur, quærere hîc licet, *an medicus requiſitus hoc in caſu patienti ſuo ſiniſtra de hoc morbo prognoſtica propalare teneatur?*

Nos quæſiti planè negamus, & decumbentes potiùs, licet ſpei nihil reliquum, ad benè tamen ſperandum, erigendos eſſe, exiſtimamus. Etenim, cùm ægrotantes naturâ ſuâ ſuſpicaces & timidi eſſe ſoleant, prudentis medici potiùs erit, ea, quæ eorum animos perturbant, triſtitiamque adferunt, ſubticere, & ſimulatione quadam celare. Aliud ſentire licet, aliud loqui, ne in deſperationem adigatur æger. Et *Joh. Damaſcenus, aphoriſm. 46. p. m. 122.* inquit: „Oportet autem ægrotantibus perpetuò, etiamſi „ipſe deſperes, ſalutem polliceri, neque vel deploratos animum „devovere, unquam permittere. Temperatura enim corporis „animi affectibus cohæret. Atque *Seneca de brevit. vitæ, cap. 18. p. m. 180.* ſcribit: Quædam ignorantibus etiam ægris curanda eſſe, & cauſam multis moriendi fuiſſe, quòd morbum ſuum noverint. Diſtinctio *Galeni 6. epidem. comm. 2. t. 43.* poſita, prudenti ægro nimium tribuit.

Placet ergò *ἐπίκρισις Dn. D. Præſidis* ſupra eam data, quam ſi vult, B. L. citato loco *libro 4. ſect. 1. cap. 7. p. m. 276.* evolvet. Interim ne inſcitiæ & ignorationis culpetur & accuſetur medicus, ægri familiaribus & agnatis, cum, vel ſine certa deſperatione indicare poterit, rem in anguſto eſſe poſitam, hacque confeſſione illos ſic obligare, ut accuratius & curioſius omnia obſervent, ne, quod per ſe exiguum exiſtit, curantis negligentiâ majus evadat. Confer *Othon. Brunfels. theſ. ſeu loc. commun. tot. rei medicæ. p. m. 119.* Jam ad rem!

Signa, quæ ſalubrem vel inſalubrem eventum præſagiunt, verſantur circa 1. ſalutem & mortem. 2. morbi longitudinem & brevitatem. 3. modum eventûs.

Prognoſis SALUTIS & MORTIS variat *1. ratione generis*, quatenus videlicet ſcorbutus adhuc recens ἐν ἀρχῇ, & in humoribus ſaltem conſiſtit: Facilè enim ſic curationem promittit,

mittit, & ſæpiùs mutato tantùm aëre & victu. Atque hoc inde, quia prava illa diſpoſitio viſceribus adeò fortiter nondum communicata & impreſſa eſt.

Inveteratus, & qui radices egit, ob materiæ copiam & pertinaciam interdum (ſed ægrè ſatis ac rarò) curatur, interdum autem nec validiſſimis etiam medicamentis cedit, ſed potiùs mortem inducit.

Hæreditarius, & à parentibus ſive communicatus, ſive per lactem inſtillatus, prorsùs incurabilis (loquimur autem de curatione eradicativa) exiſtit, & lento pede

per varios caſus, per tot diſcrimina rerum

hominem inſequitur, & emaciando tandem jugulat. Et licet aliquando ſummâ cura & accuratiſſima victus obſervatione non nihil ſublevatus eſſe videatur; nunquam tamen proclivitas ad iſtud malum penitùs eripi & aboleri poteſt, quin leviſſimo etiam errore commiſſo redeat. Adeſt enim & inhæret ſemper cauſa congenita, & nativa viſcerum ad expellendum hoſtem infirmitas ac impotentia, ut integra ſanitas nullatenus promitti, multò minus recuperari queat.

Stomacaxia (quæ frequentius juvenilem, quam ſenilem affligit ætatem) omnem, niſi maturè ei obviam eatur, carnem ſæpè, omnesque dentes abſumit; Interdum etiam in cancrum deſinit, teſte *Bernh. Gordonio in praxi ſua, part. 3. cap 27. f. m. 47.* Imò ſi livor ſuperiorem oris & palati partem apprehendit, ſalus & mors de horum ægrotorum coriis ambiguo certabunt marte. Exhibet enim plerumque lugubrem eventum, & denotat calidi innati extinctionem.

Idem ferè de Scelotyrbia præſagiendum: Nam maculæ lividæ ſeu nigræ, ubi in corporis parietibus (ut cutem deſcribit *Petrarcha, dial. 3. de contempl. mund.*) modò evaneſcunt, modò effloreſcunt iterum, mortem in procinctu itineris ad ægrum occupatam eſſe, denunciant. Τὸ πελιδνὸν γὰρ σημεῖον δηλοῖ τὸ σβέννυσθαι τὴν ἔμφυτον θερμασίαν. *Signum lividum enim eſt ſignum extincti nativi caloris*, atteſtante *Hippocr. libro 1 prænot. Coac.*

Deliteſcunt autem, quando natura ſuccumbit, calor nati-

vus, qui exiguus adhuc eſt, ad ſuum fontem (cor puta) refugit, atque ſic extrema deſerit.

Effloreſcunt in agonizantibus iterum, ob materiæ malignitatem & abundantiam, quando calor nativus jamjam Vacunæ & Feſſoniæ ſacra litat, hosque humores amplius regere ac ſuperare nequit. Hinc & extinctô eô, & efflatô ſpiritu, corpora livido ſeu nigro colore, tota quaſi obducta videntur.

2. *Ratione ſubjecti*, periculoſior eſſe ſolet ſenibus quàm juvenibus, utpote, qui ætate gaudent adhuc florente, atque ſic vitioſam hanc luem obſervatâ bonâ diætâ, facilè ſupprimere poſſunt. Illi autem ob debilitatum calorem nativum, virium robur, & cruditatum in juventute collectarum copiam, periculo non vacant, ſed potiùs extremum tragoëdiæ hujus epilogum agere, jubentur. Ὅσα τοῖσι πρεσβύτῃσι χρόνια νοσήματα γίνεται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. *Senes Chronicis morbis afflicti, ut plurimùm commoriuntur*, inquit *Hippocr. 29. aphoriſm. ſect. 2.*

Eadem ſors & conditio ſequiori & delicatiori ſexui accidit, præſertim iis, quæ ſteriles exiſtunt, coëlibem & monialem vitam ducunt, aut quibus menſtruæ purgationes ſubſiſtunt. Viſcera enim ob malignorum humorum regreſſum, vera nutritione depravantur, ut officio ſuo, minus quàm par eſt, fungi queant. Evolve *Hippocr. ſect. 5. aphoriſm. 57.*

3. *Ratione cauſæ*, deterior eſt, qui ab humore melancholico nutrimentum capit, quàm qui à ſeroſo. Hic enim ob ſui fluxibilitatem citiùs illô extirpatur, qui gravis, craſſus & viſcoſus eſt, atque ſic faciliùs malignam qualitatem retinere poteſt. Vide *Galen. de atra bile, f. m. 703. Fernel. 6. de funct. & humor. cap. 9. p. m. 263.* Ità etiam gravior eſt, qui cum aliis ſymptomatibus ſe conjungit, quàm qui per ſe exiſtit, & nullis aliis ſtipatus accidentibus, corpus defatigat. Levior eſt, qui ab aëre & victu dependet, quippe, qui his mutatis curationem ſpondet.

LONGITUDINIS & BREVITATIS: Hîc unicuivis conſtat, affectum hunc eſſe chronicum, præcipuè parentalem & connatum, qui in multos dies hebdomadas, menſes ac annos tyrannidem ſuam exercet ac protrahit; & prout *Joh.*

Haynius

Haynius de morb. ♀*r. p. 131.* refert, foeminæ hunc morbum ad viginti & plures: Viri autem ad octo & decem annos tolerare & ſupervivere queunt, donec tandem ob ſymptomatum acceſſum, indies viribus enervantur, & ſubitò proſternuntur.

Brevior autem erit (ut ſuprà dictum) ſcorbutus diætæ errore contractus, ſi æger ad nutum & voluntatem medici præſentis, ceu DEI ac naturæ, inſtrumenti, *Lodov. Cæl. Rhodigin. 28. libro lect. antiqv. cap. 11. f. m. 119.* ſe obſequentem & morigerum exhibebit. Ità enim facilè natura recolligi, morbique crudelitas ad Garamantas usque relegari ac exterminari poterit. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. *Oportet autem* (monet hæc *Cous 1. ſect. aphoriſm. 1. non ſolum medicum præſtare, ut opoٖrtuna faciat, ſed & ægrotum: & adſtantes, & externa.*

MODI EVENTUS: Tendit paſſio hæc *ad ſalutem* tardô ac teſtudineo paſſu, diſcuſſo ſcilicet, & eradicatô fomite, per alvum, hæmorrhoides, conſuetas menſtruas evacuationes &c. *ad mortem* duplicem elegit viam, longam & brevem. *Priorem* abſolvit per hydropem, cachexiam, atrophiam, gangrænam &c. *Poſteriorem* per apoplexiam, epilepſiam, ſyncopen, ileum &c. Quod ultimum etiam me in viro quodam præclaro, ac ſummè ſcorbutico Magdeburgi, obſervaſſe memini: Ubi ſcorbutus iliacas ſimulaverat paſſiones, ægrumque adeò pertinaciter excruciaverat, ut intra triduum, contemtim habitis certiſſimis & pretioſiſſimis alioquin remediis, vitam cum morte mutaret. Demortuô eô, maculæ lividæ ubertim effloreſcebant, & inter ſeptem horarum ſpatium totum ferè corpus obtegebant, ità, ut vix â relictis orphanis cognoſci amplius potuerit.

CAPUT X.

De methodo medendi.

COgnitâ ſic eſſentiâ & naturâ ægritudinis, cognitisque cauſis atque ſignis, ad curationem ipſam aditum jam parare,

ordo iubet & exigit. Cum verò ê ſuperioribus cònſtet, morbum hunc ab initio levem quidem eſſe, & temporis progreſſu pertinaciſſimum fieri, adhibitaque medicamina non ſecùs agnoſcere ac elephantem muſcam, omninò reſpiciendum erit, eò ne ἀμεθοδικῶς agamus. Aliter enim qui agit, imprudenter procedit,

—— —— ſeraque ope vincere fata
nititur, & medicas exercet inaniter artes.

Et miſerum certè opus eſt, tum demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet. Econtra, in tempore venire, rerum omnium eſt primum, ne morbus radices agat, & altiùs atque altiùs ſerpat; ut pulchrè Comicus in *Heaut.* inquit.

Quò autem in tempore ad ſcopum noſtrum collimemus, & hujus πολυμέρφȣ hydræ reviviſcens, alioquin caput Herculeo quodam gladio abſcindamus, neceſſe erit, certam eligere methodum, cujus ope per indicationes certa juvantia habeamus, ac tandem præſcribere queamus. Sunt verò indicationes α. Curatoria. β. Præſervatoria. γ. Vitalis.

CURATORIA eò tendat, ut morbi radices penitùs extirpentur, & ê corpore exturbentur, ſive id fiat pharmaciâ, ſive chirurgiâ, modò id juxta *Hippocratis libro de arte, & Galeni 14. meth. med. f. m. 950.* placitum CITO, TUTO ET JUCUNDE contingat: Eleganter profectò *Pergamenus* loquitur: ὁ δὲ πρῶτος σκοπὸς ἡ τȣ̃ χρόνȣ τῆς θεραπείας βραχύτης. Τὸ ἀνωδύνως αὐτὴν ἐργάσασθαι. καὶ τρίτος ἐπὶ τȣ́τοις ἡ ἀσφάλεια. Καὶ αὐτῆς τῆς ἀσφαλείας ἴδιοι σκοποὶ τρεῖς· εἷς μὲν καὶ πρῶτος, ὡς τυχεῖν τȣ̃ τέλȣς πάντως· ἕτερος δὲ, τὸ κἂν ἀποτύχωμέν ποτε τȣ̃ τέλȣς, ἀλλὰ μηδὲν γε βλάψαι τὸν κάμνοντα. Καὶ τρίτος, ὡς μὴ ῥαδίως ὑποστρέψαι τὸ νόσημα. *Primus ſcopus eſt temporis curandi brevitas: Secundus, curatio citra dolorem: & tertius curatio tuta. Rursùs, ut tutò cures, tria propria ſunt, quibus intentus ſis oportet: Unum primumque, ut omninò abſolutionem operis conſequaris. Alterum, ut, ſicuti hanc non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas: Tertium, ut vitium non facilè revertatur.*

PRÆ-

PRÆSERVATORIA cauſas morbificas reſpiciat, easdemque per contraria alterandas, repellendas & vacuandas eſſe doceat. Τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματά ἐστι. *Contraria enim contrariis curantur*, *Hippocr. libro de flat. p. m. 94.* Et *Galen. 11. meth. med. f. m. 919.* ſcribit: οὐ μὴν διά γε τοῦτο ποτὲ μὲν ἀληθὲς γίνεται τὸ, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ὑπάρχειν ἰάματα, ποτὲ δὲ ψεῦδος. Ἀλλὰ διὰ παντὸς μένει ἀληθὲς, οὐδὲ γάρ οἷόν τε τὰ παρὰ φύσιν ἰαθῆναι δι' ἄλλης τινὸς ἰαμάτων ἰδέας. *Dogma illud, quo contrariorum contraria ſunt remedia, nunquam aliquando verum erit, aliquando falſum: Sed id perpetuò verum, quandoquidem fieri non poteſt, ut eorum, quæ præter naturam ſunt, quidquam per aliam ullam remediorum ſpeciem curetur.* Videſis inſuper ejusdem *libr. 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 9. f. m. 901. & 1. de conſtit. art. med. f. m. 25.* Ubi prolixè ſatis hæc commendat.

Ita & ſymptomata mitiganda erunt: imò ſi neceſſitas urget, peculiaris eorum aliquando curatio ſuſcipienda; non neglectis tamen præſidiis antiſcorbuticis, quæ cæteris ſemper intermiſceri debent.

VITALIS omnibus corporis partibus proſpiciat, iisdemque per convenientia & ſimilia alimenta ſuppetias ferre poſtulet: Τὸ τε γὰρ ὅμοιον, καὶ τὸ πάντῃ πάντως ἀδιάφορον, εὔλογον μὴ πάσχειν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου μηδέν. *Simile enim*, ut Philoſophus *tom. 1. libro 1. de gener. & corrupt. cap. 7. tit. 48. p. m. 700.* inquit, *& omniquaque indifferens, rationabile eſt non pati à ſimili aliquid*; ſed potiùs ſe invicem conſervant & augent, juxta ὑγιεινῆς κεφάλαιον illud: ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον.

Hæc præſervatoria & vitalis in ſcorbuti hæreditarii, ſeu aliàs inveterati ac confirmati, alteratione & correctione, jugiter etiam deſudent: Et licet equidem eundem radicitùs ejicere non queant, tantùm tamen opitulentur, ne anticipetur fatalis vitæ terminus; ſed ut quietiorem æger vitam transigat & ducat.

Condonandum intereà, ceu Ethnicis Hippocrati & Galeno, quando ille *libro de arte*: Hic *11. meth. med.* incurabilibus morbis nullas adhibendas eſſe manus, ſtatuerunt.

Nos,ut medici chriſtiani charitatem, proximo exhibendam, omninò præſupponimus, ægroſque noſtros nullatenùs deſerendos eſſe, opinamur. Non neſcii etiam, quòd & ipſum Hippocratem *libro 6. de morb. popul. ſect. 5. p. m. 358. & libro 1. de morb. p. m. 145.* atque Galenum *comment. 6. aphoriſm. 38. p. m. 455.* benigniorem ac humaniorem habemus. Notatu digna ſunt *Tralliani*, quando *cap. 5.* ſcribit : ὅμως δεῖ φιλονεικεῖν διὰ φιλάνθρωπον τῆς τέχνης βοήθειαν, καὶ μὴ ἐγκαταλαμβάνειν. *Attamen propter humanum benignumque artis auxilium contendere cum morbis oportet, & non ceu deploratos omninò relinquere.*

Contendamus igitur, ne in deteriùs incidat æger: erigamus illum, & ſuccurramus naturæ, ne hominem intempeſtivâ timiditate tradidiſſe loculo videamur, quem alioquin ad tempus ſervari potuiſſe, non improbabile penitùs fuerat.

Verùm & hoc in ipſo ſuæ conſulat famæ medicus, & cautum pariter ac prudentem ſe exhibeat, ne ſcilicet, ſi ſpes redintegrationis deperdita, majora promittat, quàm præſtare poſſit. Φύσιος γὰρ ἀντιπρηττούσης, κενεὰ πάντα. *Natura enim reluctante, irrita ſunt omnia. Hippocr. in leg.* Pronunciet itaque morbi eventum (cum aliquali tamen, ut ſupra monuimus, clauſula) periclitantis amicis & adſtantibus ſolis. Ita enim non tantùm conſcientiæ ſuæ & chriſtianæ charitati ſatisfaciet, ſed & maximam gloriam, absque ulla regiæ medicinæ maculâ, deportaturus erit.

Patiens interim tragici illius verba ſibi in mentem revocet, *quòd qui nihil poſſit ſperare, nihil etiam deſperet*, & tyrannum, ſi non aufferre liceat, ferre, patientis ſit.

Auxiliorum materia, quæ indicationibus prædictis ſubveniat, & id, quod per eas inventum, exequatur; ê tribus uſitatiſſimis defluit fontibus, videlicet, chirurgico, pharmaceutico & diætetico.

CAPUT XI.
De Chirurgia.

Ex

EX hac primùm elucescit divinum illud ac ſalutare remedium venæ ſectio, ἡγεμονικὸν βοήθημα πολλῶν ἀνάξιον ἄλλων· *princeps præſidium, aliis omnibus præferendum*, & â quo, ut rectè *Donat. Anton. ab Altomari in art. med. de med. febr. part. 1. cap. 45. p. m. 281.* docuit, coëpiſſe ſemper conveniet.

Utimur autem tali, præmiſſo quodam lenitivo, cum morbus in cunis adhuc quieſcit: Item, ſi corpus plethoricum habemus; vel ſi febris adeſt; vel ſi ſangvis excrementitiis impuritatibus & ſcoriis ad cacochymiam quâm proximè accedentibus, ſcatet. *Sic enim cogimur ſanguinem mittere, idque aut venâ inciſa, aut membris iis, quæ læſa non ſunt, ſacrificatis &c. Has namque evacuationes indicat ipſa plethora*, inquit *Galenus 13. med. meth. f. m. 936.* & *Comm. in 6. aphoriſm. Hippocr. 47. p. m. 470.* dicit: ἡ φλεβοτομία κοινὸν βοήθημα ἐστι τῶν πληθωρικῶν νοσημάτων, *venæ ſectio commune eſt ad plethoricos morbos auxilium.*

LOCUS in quo ſecanda vena, pro diverſa diverſorum authorum authoritate variat. *Guilielm. Placentinus in ſumma conſervat. & curationis, cap. 119. de ægritudin. f. m. 46. & cap. 122. f. m. 48. Sal. Albertus, libro de ſcorb. §. 240. Platerus, tom. 3. pract. med. libro 2. cap. 4. p. 431. Ronſeus, cap. 8. de magn. lien. Foreſtus, libro 20. obſerv. 11. Wierus, libro de morb. incogn. & de ſcorb. p. 11. Franc. Valleſius controv. med. & philoſ. libro 7. cap. 5. f. m. 329. Spigel. theatr. anatom. libro 8. cap. 14. Riolan. libro 2. Galeni anthropol. cap. 13. libro 2. ad Glauc. cap. 2. f. m. 974. & libro de curand. rat. per ven. ſect. f. m. 996. & 13. med. meth. f. m. 937.* defendunt partes, & in ſiniſtro brachio ſangvinem mittendum eſſe, ſvadent, ob majorem lateris ſiniſtri cum liene conſenſum & ſympathiam.

Verùm *Thadæus Dunus libro 1. art. evacuand. per venæ ſect. cap. 3. Reuſner. de ſcorb. exerc. 7. Sennert. inſtit. med. libro 5. part. 2. ſect. 1. cap. 17. p. m. 1173. Horſt. de ſcorb. cap. 8. §. 30.* prærogativam hanc lieni minimè concedunt, ſed & in dextro brachio venæ ſectionem commodè inſtituere poſſe, ſcribunt.

Et rectè ac dextrè quidem. Venæ enim ſiniſtræ æque ac dextræ ex uno fonte deducuntur, nimirum ê cavæ venæ trunco. Jam ſive in ſiniſtro, ſive in dextro brachio vena ſe-

cetur, per hunc truncum, qui unicus eſt, ſangvini adſcendendum erit. Vide *method. ration. curand. Camilli Raven. cap. 41 p. m. 318.*

Qualis verò eligatur vena, indicationes monſtrabunt. Secari tamen plerumque ſolent baſilica, mediana, cephalica, ſalvatella, ſaphena, poplitæa, pollicaris, venæ labiorum & hypoglottidum &c. pro cujusque ſcilicet indicantis ratione. Et hoc modô, una fideliâ (quod eſt in proverbio) duo parietes ſæpè dealbari poſſunt.

TEMPUS quod concernit, dicimus; Sangvinis hanc miſſionem ſtatim â morbi initio fieri debere, neglecto anicularum, de certâ præeligenda horâ, ſuaſu. Neceſſitas enim, quæ nullis adſtricta legibus, omninò & illam opinionem anilem deſtruit ac tollit. Quapropter, ſi periculum in mora, qualibet diei horâ venam aperire licebit. Interim ſi præſervandi ſaltem gratia petatur, cum maximo naturæ periclitantis commodo, vere & autumno, *Hippocr. 6. aphoriſm. 47. Galen. de curand. rat. per ven. ſect. f. m. 992. Oth. Brunfels. in loc. comm. rei tot. med. p. m. 141.* autoribus, adhiberi poterit.

QUANTITATEM ſangvinis educendi menſurabunt ætas, temperamentum, ſexus, vires & aliæ circumſtantiæ.

MODUS optimus erit; *α.* ut utamur ſcapello lato ſeu lanceolâ. Sic enim non tantùm ſubtiliores ſanguinis partes, ſed & craſſæ ac tartareæ exitum habere queunt. *β.* Ut hæc evacuatio ſit parca, ne vires proſternantur. *Vires*, inquit Galenus, *ſui conſervationem ſemper requirunt*, *libro 11. meth. med. f. m. 916. quia ex earum cuſtodia vivimus, cùm vitam aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones ſit neceſſe. libro 9. med. meth. f. m. 902.*

Poteſt itaque hæc ſectio pro patientis natura, non una vice, ſed pluribus *καϑ' ἐπίκρασιν* inſtitui. Conſtat enim ex *Eugaleno*, locô citatô, *Mich. Havemanni amuſii ſect. 1. cap. 14. p. m. 129.* ſcorbutum largam ſangvinis profuſionem nunquam impunè conceſſiſſe. Media ergò via tutiſſima eſt. *Καὶ μετὰ μικρὸν ποιεῖσϑαι τὴν κένωσιν· οὐ δὲ γὰρ ἡ ἀϑρόα κένωσις τοσοῦτον ὠφελεῖν οὐδὲν, ὅσον ἡ κατὰ μικρὸν γινομένη. Senſim*, monet *Trallianus, libro 10. cap. 1. ex toto corpore hac ſanguinis expurgatio tentanda.*

Neque

Neque enim univerſa inanitio tantùm adfert præſidii, quantùm paulatim quæ fit.

Verùmenimverò, quia medici vix in conſilium vocantur, antequam hæc leæna radices poſuerit firmiſſimas: Tutiùs erit t. t. venæ ſectionem, niſi gravius aliud urgeat ſymptoma, prorsùs intermittere, & hujus vicarias, CUCURBITULAS puta ſubſtituere. Affigantur autem eæ ſcapulis, brachiis, lumbis, cruribus & ſuris, illisque locis, quibus indicationibus ſatisfiat.

HÆMORRHOIDUM apertio, ut & SACRI FONTIS in mulierculis recluſio, præſentiſſimum exhibent præſidium. Vide *Hippocr. libro de humor. p. m. 136. & 6. de epidem. morb. ſect. 3. p. m. 357. & 6. aphoriſm. 11. 12. Th. Bartholin. anatom. reform. libell. de ven. cap. 4. p. m. 426. &c.*

Non inutile etiam erit, quandoque FRICTIONES inſtituere, ut corpus eò rariùs ac alacriùs ad exequenda officia naturalia reddatur. ἡ δὲ τρῖψις, inquit *Philoſophus, tom. 2. ſect. 37. problem. 3. 4. 5. &c. pag. m. 1038. 1039.* εὔπνουν καὶ ἀραιὰν ποιεῖ τὴν σάρκα, καὶ κωλύει συστάσεις γίνεσθαι κατὰ τὸ σῶμα. *Frictio autem carnem elaxat, & ſpiritibus reddit opportuniorem, & prohibet, quò minus inutiles coitiones in corpore contrahantur.* Et paulò poſt ſequentibus pergit. ὅτι οὐ δεῖ πυκνοῦν τὴν σάρκα πρὸς ὑγίειαν, ἀλλ' ἀραιοῦν: ὥσπερ καὶ πόλις ὑγιεινὴ ἐστὶ καὶ τόπος εὔπνους, οὕτω καὶ τὸ σῶμα εὔπνουν, μᾶλλον ὑγιεινόν ἐστι ἢ ἐναντίως ἔχοντος. *Itaque corpus cui ſecundam conciliamus valetudinem, non denſum ſed rarum reddendum eſt. Nam ut urbs locusque quicunque ſalubris eſt, qui placidè perſpiratur: Ita etiam corpus, quod ſpiratius eſt, ſanitati opportunius conſtat.*

CAUTERIA & FONTICULI, dum vitioſos & ſeroſos humores ê corpore tàm perreniter, quàm ſenſibiliter attrahunt & expellunt, non leve etiam levamen dabunt, in hoc affectu, præſertim ſi in principio morbi applicentur. Vide *Ludov. Mercat. libro 1. de morb. intern. cap. 17. & libro 7. de mul. morb. cap. 4. & libro 1. de recto præſid. art. med. uſu, cap. 16.* Sed curandum, ut eorundem recta fiat adminiſtratio, ne, ſi contrarius ſequatur effectus, culpa in medicum rejiciatur.

CLYSMATICA NOVA, feliciſſimi *Joh. Sigism. Elsholzii*, medici ordinarii Sereniſs. Electoris Brandenburgici, (cujus inventionem excellentiſſimus *Joh. Dan. Major*, P. P. Academiæ Kielenſis ſibi ſedulò vendicare nititur, in peculiari hac de materia tractatulo, ſuperioribus annis in lucem editô) ſingularem etiam & citam ſpondet curam: ſi ſcilicet per ſiphunculam, extractâ anteà ſanguinis convenienti quantitate, aquæ cochleariæ, ſeu aliæ tincturæ antiſcorbuticæ portio, ad depurandam limoſam & impuram ſanguinis maſſam, injiceretur. Videatur prælaudatus autor loco allegato *cap. 4. p. m. 22. & cap. 9. p. m. 54.* ubi novam hanc artem enemeticam prolixiùs obſervationibus quibusdam illuſtrat, comprobat & recommendat.

Sed & hîc monendum, hanc operationem agilem & perfectum requirere chirurgum, levi & non tremente manu præditum, ne ſiphunculæ in venam inſertione, ipſa lædatur vel pertundatur vena, ſicque malum poſteriùs commiſſum priori majus, periculoſiùs ac pernicioſiùs evadat.

CAPUT XII.

De Pharmacia.

REmedia, quæ ex hac claſſe, ceu largiſſimo medicamentorum generoſiſſimorum promptuario, depromimus, vitioſam ac excrementitiam ſcorbuti mineram, peregrinis ſuis qualitatibus rebellem, evacuare, obſtructiones reſerare, & partes ſuccumbentes ſpecifica vi adjuvare debent.

Verùm, δεῖ δὲ μὴ ὑφ᾽ ἓν τοῦτο ποιεῖν, ὥστε μὴ καταβληθῆναι τὴν δύναμιν, inquit *Alex. Trallianus libro 9. cap. 3.* Καὶ γὰρ εἰ καὶ περιττόν ἐστι τὸ κενούμενον, ἀλλ᾽ εἰς τὴν ἀθρόαν μεταβολὴν, μᾶλλον βλάπτει· βέλτιον οὖν ἐστὶ κατὰ μικρὸν καὶ ἀσφαλῶς κενῶναι, ἢ σπουδάζοντα καὶ θορυβούμενον ἅμα τῇ νόσῳ συνανελεῖν καὶ τὸν κάμνοντα. *Hoc non unâ vice faciendum eſt, ne vires dejiciantur. Etenim, quamvis id quod evacuatur, recrementitium eſt,*

tamen

tamen universâ ac ſubitâ mutatione magis offendit. Satius ergò eſt, & paulatim & tutò expurgare, quàm feſtinando perturbandoque unà cum morbo etiam ægrum è medio tollere.

Placet itaque præſupponere LENIENTIA, quæ alvum leniter emolliant, corruptamque materiam ad exitum diſponere queant.

Ex horum autem numero ſunt, Radic. 5. aperient. maj. & min. cichor. glycyrrh. acetos. ſcorzon. &c. fol. cochlear. beccabung. naſturt. aquat. lingv. cervin. ceterach. &c. ſemin. aniſ. foënic. carv. &c. Cortic. cappar. tamariſc. fraxin. &c. fruct. prun. damaſc. paſſul. min. & maj. &c. Caſſ. mann. &c. Pilul. aloes roſat. violat. ♀riſat. Francofurtenſ. de angelic. de fumar. dia ♀r. *Fonſecæ à Riverio libro 7. pract. med. cap. 5. p. m. 221.* annotatæ &c. Pulv. antiſcorb. laxativ. *D. Victorini, à Grülingio in florilegio ſuo Hippocrateo Galeno Chymico, part. 5. cap. 8. p. m. 113.* notatus, &c. Sirup. roſar. ſolutiv. de ſcolopendr. *Fernel. Byzant.* ſimpl. & compoſ. de 5. radic. aperitiv. *Minderi* &c. Decoctum radic. cichor. celebratiſſimi *Joh. Craton. à Krafftheim in conſil. & epiſtol. medicin. libro 1. à Laur. Scholz. collect. epiſt. 5. p. m. 199.* Electuar. lenitiv. diacathol. diaſebeſt. &c. pulv. panchymagog. *Quercet. Croll.* ☍ fraxini *Evonymi in theſaur. ſecret. remed. p. m. 360.* &c. Eſſent. abſinth. præprimis *D. Drawitzii* in ſuo tractatu vom ſchmertzmachenden Scharbock/ *tit. 3. p. m. 146.* deſcripta. Extr. fumar. ſcolopendr. abſinth. &c. Ra♂ aperitiv. *Mynſichtii,* ▽ aperitiv. *Banzeri.* Potio *Blaſ. Aſtarii, cap. 9. & Cæſar. Landulphi cap. 6. de febr.* deſcripta, & *Marc. Gatinar. prax.* annexa, *p. m. 345. 400.* ~ ♀ri ⊕latus ſeu ~ ♀ri compoſitus *Schröder. pharmac. libro 4. claſſ. 2.* ~ aperitiv. ſeu ▽ mirabilis *Penoti* ab *Hartmanno* in *prax. chymiatr. p. m. 210.* correcta: Arcan. ♀r. *D. Petr. Servii* Med. Rom. & Pontif. Urban. VIII. archiatri: Arcan. ♀r. Chimici cujusdam Galli, ex triplici ♀ro, 1. vegetabili (foëce vini) 2. minerali (⊕.) 3. humano (ſanguine) præparatum. Q. E. cancrorum *Petr. Joh. Fabr. in myrothec. libro 1. cap. 21. p. 36. &c.*

Ex his omnibus varia ad ægri palatum confici queunt præſidia, e. g.

℞. M℞. aloes ☿riſat. ℈iß.
extr. cochlear. g. vj.
Ol. cinam. g. iv.
F. l. a. cum elixir. Paracelſ.
Pilulæ, no. xv.
D. S.
Weichpillen auff einmahl.

℞. pulv. panchymag. Quercet. ℈j.
reſin. jalap. nigr. gr. vj.
☍ cochlear. g. iij.
cinam. ♌ lat. g. j.
M. & F. Pulvis.
D. ad chartam.
S.
Weichpülverlein auff einmahl.

℞. electuar. lenitiv.
dia ſebeſt. ā ʒiij.
▽ borrag.
capill. ♀. ā ℥ij.
Colatur. add.
eſſent. fumar. ʒj.
M. F. Hauſtus.
D. in fictili.
S.
Lindträncklein auff einmahl.

℞. panchymag. Croll. gr. xvj.
M℞. de fumar. ℈ß.
extr. helleb. n. gr. iv.
F. l. a. cum ſirup. ſcolopendr.
Pilulæ, no xv.
D. S.
Lindpillen auff einmahl.

℞. ☿r. ⊖ lat. ℈j.
magiſt. ſcammon. gr. vj.
elaoſach. citr.
cochlear. ā gr. ij.
M. ad Pulverem.
D. ad Chartam.
S.
Eröffnungs-Pülverlein auff einmahl.

℞. ſir. de 5. rad. aper. ℥j.
roſar. ſolut. ℥ß.
tinctur. ☿r. ℈ß.
▽ beccabung.
centaur. min. ā ℥ij.
M. pro potione.
D. in vaſculo convenienti.
S.
Weichträncklein auff einmahl.

Si verò patiens (ut ſæpiùs accidit) medicamina per os aſſumere reſpuat; ſubſtitui tunc poſſunt ſuppoſitoria, unguenta umbilicalia ac enemata: e. g.

℞. ſpec. diaturb. c. rhabarb. ʒiß.
⊖ naſturt: chryſtalliſat. gr. vj.
mell. crud. ad durit: deb. coct. ʒx.
☍ lumbric. ▽ eſtr. q. ſ.

℞. ungu. de liquirit.
alth. compoſ. ā ℈iß.
ſplenet. Segii ℈ß.
elect. citr. ſolut. ℈iß.
F. l. a.

F. l. a. Suppoſitoria.

S.

Erweichende StuelZäpfflein.

℞. rad. 5. aper. min. ā ℥j.
althr.
glycyrrh.
cichor.
eryng. a ʒij.
Cort. tamariſc.
fraxin. ā ʒß.
cappar. ʒj.
Sem. aniſ.
foenic. ā ℥j.
fol. parietar.
cochlear. ā mj.
ceterach.
fumar. ā mß.
flor. Chamæmel. p. iv.
fruct. paſſul. maj.
min. ā ʒiß.
coqv. in ſ. q. ſer. lact. caprin.

℞. colatur. ℔j. add.
electuar. diacathol. ℥ß.
caſſ. pro clyſter. ʒiij.
Ol. melilot.
popul. ā ʒij.
lin. ʒj.
F. Clyſter. tepidè injiciendus.

℅ chamæmel.
lin. ā q. ſ.
F. linimentum umbilicale.

S.

Eröffnungs Sälblein auff den Nabel zu ſchmieren.

℞. rad. polypod. quer.
glycyrrh.
althr.
elleb. nigr. ā ℥j.
fol. beccabung.
piloſell.
lonchitid. ā mj.
beton.
branc. urſin. ā mß.
flor. cichor.
til.
ſambuc. ā p. ij.
Sem. carv.
cochlear. ā ʒj.
prunor. laxat. par. no. v.
coqv. in ſ. q. ▽ fluviat.

℞. colatur. ℔j. add.
electuar. bened. laxat.
conf. hamech. ā ℥ß.
℅ amygd. d. ʒj.
Cheir. ʒß.
⊖ Nicotian. ℈ß.
F. Enema tepidè applicandum.

Factâ primarum viarum lenitione, ad PRÆPARANTIA, ſi materia peccans ad ſeceſſum nondum ſatis diſpoſita,

tendendum erit: Corpus enim, ut *Fernel. 3. meth. med. cap. 13. p. m. 116.* docet, ſic præparatum comparatumque ſit, ut viæ omnes, per quas medicamentum decurrat, & per quas noxius humor derivandus expurgandusque ſit, liberæ ſint & expeditæ.

Præſcribuntur igitur hoc loco præter ſuperiùs citata; Radic. helen. polypod. centaur. maj. & min. bugloſ. borrag. &c. fol. fumar. capill. ♀. fragar. heder. ▽ſtr. prim. ver. naſturt. hortens. pimpinell. ſabin. veronic. &c. flor. epatic. nobil. & alb. borrag. bugloſſ. beton. cichor. roriſmar. roſ. damaſc. ſambuc. &c. ſem. acetos. aurant. excort. citr. excort. cochlear. ſinap. &c. bacc. juniper. lign. guajac. ſaſſafr. &c. Trochiſc. de cappar. de abſinth. &c. pulv. aperitiv. ſplenet. *D. Knöfelii*, Reg. Majeſt. Polon. archiatri. pulv. digeſtiv. hepatic. *Dn. D. Schneideri*, P. P. Witteberg. pulv. digeſtiv. *D. Möllenbroccii in tract. de variis, cap. 9. pag. m. 57.* pulv. cachecticus *Hartmanni, in prax. chymiatr. p. m. 209.* Decoct. cortic. median. de ſambuc. cum vino. *Bartholom. Angl. libro de propriet. rer. 17. cap. 144.* Sirup. de lupul. ſir. ex chalybe *Riverii, libro 6. med. pract. cap. 3. p. m. 193.* ejusdem ſir. aperitiv. *d. l. p. m. 191.* pilulæ ê chalybe ejusdem, *d. l. p. m. 194. & centur. 3. obſerv. 33. p. m. 265.* pilulæ Amſtelodamenſes, pil. antiſcorbut. *D. Timæi*, â *Grülingio in florileg. Hippocr. Galen. Chym. part. 5. cap. 8. p. m. 109.* conſignatæ &c. Elixir. ♀r. volat. & ſcorbut. ♀r. *D. Zobelii.* Eſſent. flor. anagallid. calendul. Chelidon. min. & maj. hyperic. naſturt. Ind. fol. & flor. centaur. min. &c. Elixir. Juniperin. Tinctura ♀r. Tinctura ♂ aperitiv. ex ⊕lo ♂. Tinctura ☿ii; de quibus omnibus & aliis pluribus evolvatur *Chimia in artis formam redacta*, optumè hac de re emeriti ac illuſtris viri, Dn. *Quern. Rolfincii.* Formulæ ſequentes eſſe poſſunt.

℞. cremor. ♀*r.* ℈j.	*℞. croc.* ♂ *aperitiv.* ℈ij.
♀*r.* ⊕*lat.* ℈ß.	♀*r. chryſtall.* ℈iß.
diagryd. ritè præpt. gr. xv.	⊖ *naſturt.*
♁ *cochlear. g.* iij.	*fumar. ā gr.* v.
cinam. ♁*l. g.* ij.	*ſpir.* ⊖ *chalyb. g.* ij.
M. divid. in duas partes æquales.	*M. & dividatur æqualiter.*
S.	*S.*
Digeſtiv-Pulver auff 2 mahl.	*Præparir*-Pulver auff 2 mahl.

℞. *pulv.*

℞. *pulv. cachect. Hartm. gr. xv.*
extr. helleb. nigr. gr. vj.
aperient. hypochondr. gr.
cochlear. gr. iij. (iv.
☍ ♀r. *nigr. rectific. g. ij.*
F. l. a. c. ſirup. de lupul. q. ſ.
Pilulæ nō. xv.
D. S.
Eröffnungs Pillen auff 1 mahl.

℞. *elixir. propr. Paracelſ.* ℨij.
tinctur. aurant. cort. c. ∼ *propr.* ℨj.
corallior. Dn. Præſidis ℈j.
eſſent. fumar.
cochlear. ā ℈j.
M. D. in Vitro.
S.
Köſtliche eröffnungs *Miſtur*, darvon morgens und abends xj. biß 15. tropffen zugebrauchen.

℞. ♀r. ⊖ *lat.* ℈j.
ſirup. roſar. ſolut.
borrag. ā ℥j.
eſſent. fumar. ℈j.
▽ *borrag.*
cichor.
capill. ♀. ā ℥iij.
D. in fictili. M. S.
Digeſtiv-Träncklein auf 2 mahl.

℞. *M. River. ē chalyb.* ℈ij.
Extr. fumar. gr. v.
abſinth.
beccabung. ā *gr.* iij.
⊖ *Cinam. gr.* j.
F. ſ. a. cum ſirup. ſcelotyrb. Foreſt. q. ſ.
Pilulæ nō. xxj.
S.
Digeſtiv Pillen auff 1 mahl.

℞. *tinctar.* ♂ *aperitiv. ex* ⊖ *l.*
♂. *Dn. D. Præſidis* ℈ij.
☿ij *ejusdem* ℈j.
∼ *ſcorbutic. ejusd.* ℨj.
☍ *ſuccin. opt.*
cinam. opt. ā *g.* iij.
M. D. ad vitrum.
S.
Reſolvirende Scharbocks *Tinctur*, von x. biß xij. tropffen einzunehmen.

℞. *ſirup. ē chalyb. River.* ℥j.
citr. ſolut. ℥ß.
conſ. cochlear. ℨij.
tinctur. aurant. ℈j.
eſſent. ocul. 69. ℈ß.
▽ *cuſcutæ,*
acetoſ. ā ℥ij.
cochlear.
centaur. min. ā ℥iß.
M. D. in fictili. S.
Eröffnungsträncklein auff ein mahl.

℞. rad. ſcorzon.
cichor. ana ℥ij.
glycyrrh. ℥iij.
ſarſaparill. ℥ij.
fol. cochlear.
aſplen.
abſinth.
chelidon. min. ana m ß.
flor. geniſt.
bugloſſ. ana p. ij.
ſambuc.
rorismar. ana p. j.
ſem. aniſ.
foenic. ana ℨß.
paſſul. maj.
min. ana ℥ij.
cort. tamariſc.
aurant. ana ℥j.
ſantal. omn. ana ℨß.
aloes ℨß.
cubeb.
zedoar. ana ℨij.
cryſtall. ♀r. ℈ij.
Inciſa d. ad chartam. & irrorentur ~ cochlear. ℨß.
S.
Species zum digerir Wein.

℞. rad. 5. aperient. maj. ana ℥ij.
polypod. quern. ℥iß.
helen. ℥j.
fol. card. bened.
lingv. cervin.
capill. ♀
pimpinell. ana mj.
centaur. min.
veron.
epat. nobil.
beccabung. ana m ß.
flor. rorismar.
borrag.
cyan. ana p. iij.
naſturt. Indic. p. iv.
baccar. juniper. mj.
cort. citr.
cappar. ana ℥ij.
fol. ſen. Alex. ℥j.
rhabarb. el. ℥ß.
cinam. ℨj.
⊖ abſinth. ℈j.
Inciſ. incidend. f. l. a. Nodulus è ſindone.
S.
Kräuter Püſchel zum Digeſtiv-Wein.

Corpore ſic ad excludendas feces diſpoſitô, ad validiora PURGANTIA nos ordo ducit.

Sed & hîc illud Comici *NE QUID NIMIS* attendendum, præprimis cum nemini non notum ſit, ſcorbutum validis purgantibus magis ſaltem exacerbari & deteriorem fieri. Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, *omne nimium*, inquit medicorum patriarcha *1. aphoriſm. 3. naturæ indixit bellum*, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, *quod*

quod verò paulatim fit, ludum eſt. Et *6. de morb. popular. ſect. 3. p. m. 357. & 2. de vict. rat. in morb. acut.* expreſsè docet, maximas mutationes eorum, quæ circa naturas noſtras contingunt, maximos procreare morbos. Perniciofiſſimum enim in omni quidem vitâ, quod nimium, præcipuè tamen corpori, ſecundum *Plinium, libro XI. natural. hiſtor. cap. 54.* Rectè *Fernelius libro 3. meth. med. cap. 10. p. m. 108.* inquit: At quoniam nos ſæpè multa latent, „ nullis indiciis comprehenſa, incognitam laborantis naturam ex- „ pedit blandis ſenſim pharmacis explorare, non temerè vehe- „ mentioribus impetere & labefactare: cognitis ante & explo- „ ratis naturis, tuta decernetur medicatio. „

Laudatur itaque â nobis via media. Haut ſumus inſcii quòd hoc modô periculoſos hujus pelagi ſcopulos tutò, cum ſummo periclitantis gaudio, evitare queamus. Satius eſt, in multa cacochymîa, paulò citra modum ſubſiſtere, quàm ultrà procedere, juxta *Fernel. 3. meth. med. cap. 11. p. m. 110.*

Inſerviunt verò ſcopo noſtro fol. ſen. epithym. helleb. nigr. Jalap. hujusque reſin. lap. Lazul. armen. rhabarb. polypod. pulv. ſennæ præparatus â *Sennerto*, Cerber. *Marc. Cornachini* (aliàs pulv. Comitis *de Warwyk*) ſirup. roſar. ſolut. helleborat. pilul. antiſcorbut. *Grülingii*, fæcul. Aaron. extr. ♀r. Chryſtall. dulc. ♂ quorum deſcriptionem largitur *pharmacopoëa Imperatoris Rudolphi ſpargyrica pag. 169. 187.* extr. panchymagog. *Th. Kesleri, in proceſſ. chym. §. 345. p. m. 417.* extr. helleb. nigr. flor. rhabarb. ♀rat. Julepus deoppilativus in *Leonell. Faventin. de Victoriis, cap. 40. practic. medicinal. p. 355.* Specif. purg. Paracelſ. ♄ per infer. purg. ☿ dulc. ejusdemque eſſentia, quæ ſecundum *Agricolam in Comment. ad Popp. part. 1. p. 182.* omnem ♀ream materiam & obſtructiones ſolvat. ▽ mirabilis, ſive ut *Rhenano* placet in *theorem. chymiotechn. theorem. 137. pag. m. 46.* Balſami mater, ⏜ calc. vivæ *Baſil. Valentini*, atque ab eodem *Rhenano in clav. & manuduct. in libr. Theophr. Paracelſ. p. m. 17.* deſcriptus. Turpeth. Mineral. ad methodum *Joh. Erneſti* præparatum, & in elegantiſſimo ſuo *tract. de oleis* conſcripto ac *prax. chymiatr. Hartmann.* affixo, annotatum &c. Nobis ſequentia arrident:

℞. pulv. ſen. præpt. Sennert. ʒj.
croc. ſacchar. ♂. gr. vj.
elæoſacch. citr.
aniſ.
anthoſ. ā gr. j.
°o° juniper. g. j.
M. D. ad chartam.
S.

Purgier Pülverlein auff 1 mahl.

℞. extr. helleb. nigr. ℈ß.
reſin. jalap. gr. vj.
⊖ abſinth. gr. iv.
incorporentur cum ſirup. cochlear.
& inſpergatur ſaccharum q. ſ.
pro Bolo. D. in pyxide.
S.

Purgierender Scharbocks Zucker.

℞. extr. panchymag. Croll. gr. xvj.
helleb. nigr. gr. ix.
☿ per infer. purg. gr. v.
M. f. ſ. a. cum pulv. glycyrrh. q. ſ.
pilulæ, nō. xv.
deaurentur & D. in pyxide eburnea, S.

Sonderbahre Purgier Pillen auff einmahl.

℞. ſirup. roſar. ſolut.
rhabarb. ā ℥j.
pulv. diaſen. Wier. ℈j.

℞. reſin. jalap. nigr. ℈ß.
magiſt. de gum. peru. gr. vij.
ſcammon. ♀rat. gr. v.
⊖ abſinth.
fumar. ā gr. ij.
°o° cinam. fragrantiſs. g. iiij.
M. D. in charta.
S.

Reſolvir-Pülverlein.

℞. conſ. fumar.
naſturt. ▽t. ā ʒß.
pulv. fol. ſen. Alex. ʒb.
reſin. ſcammon. gr. vj.
ol. citr. g. iv.
E. l. a. bolus, ſaccharo q. ſ. involvendus.
D. S.

Purgier Biſſen.

℞. MP. de ammoniac. Quercet.
♀rear. ejusdem, ā ℈j.
extr. jalap. gr. vj.
rhabarb. gr. ij.
⊖ cinam. gr. ij.
F. l. a. c. ſ. q. ſirup. roſar. ſolut.
pilulæ nō. xxj.
inaurentur. D. & S. ut ſupra.

℞. ſirup. citr. ſolut. ℥j.
polypod. ℥ß.
electuar. lenitiv.
diacathol. ā ʒij.

borrag.

∇ *borrag.*	∇ *fumar.*
cichor.	*beder.* ∇ *eſtr.*
chelidon.min.	*veron. ā ℥iß.*
ſcolopendr. ā ℥j.	*cinam opt. ℥ß.*
fol. ⨀ *opt. nō. j.*	*M. D. in fictili.*
M. D. in vaſculo convenienti.	*S.*
S.	Purgierender Scharbocks
Reſolvir Tränckleín.	Tranck.

Hactenus de evacuantibus *κατωτερικοῖς* ſeu dejectoriis. Seqvuntur jam *ἀνωτερικὰ* ſeu vomitoria, quæ hoc in affectu, (præprimis ſi nauſea & ſalivatio adeſt moleſta, ipſeque patiens ad vomitum proclivis exiſtit, eundemque facilè perfert) omninò præſcribantur. Ægrum enim citò recreant, & materiam, quæ circa ventriculum, venas meſaraicas &c. fluctuat, commodè educunt.

Hujusmodi ſunt crocus metall.abſinthiacus, & ♀rus emeticus, *Mynſicht.ſect.1.p. 12.& 13.* ♀rus emetico-purgans *Zwölferi in append. animadv. in pharmac. Auguſt. f.78.* Ejusdem confectio emetica citrata, *in append. ad pharm. reg. f. 8.* ſirup. emeticus, ſive oxyſaccharum vomitiv. *Angeli Salæ.* Oxyſacchar. emetic. *Mynſicht. loc. cit.* cujus recordatur etiam *D. Fehr. tract. de hierapicra p. m. 46. 47.* Vomitivum *Plateri* ê nucibus viridibus, raphano & ✢ vini præparatum, â ʒiij. ad ℥ß. ☍ ♁ij cum berber. â g. xij. ad ℈j. ∇ vomitoria *Hartmanni*, â ʒiij. ad ʒvj. ∇ benedict. *Rulandi*, ad ℈j. usque. ∇ emetica *Grülingii*, â ℥ß. ad ʒvj. vitr. & flor. ♁ij â gr. vj. ad ℈ß & ℈j. juxta *Hartmannum*, &c.

℞. *vitr.* ♁*ij. rit. præpt. gr.* vij.	℞. ⊖ ⊕*l.*
gill. ⊕*l. Parac. gr.* iij.	☍ ♁*ij c. berb. ā* ℈ß.
∇ *acetoſell.* ℥iß.	∇ *aneth.*
cinam. opt. ℥ß.	*gramin. ex rad. ā* ℥iß.
M. D. S.	*M. D. S.*
Brechtränckleín.	*Vomitiv* - Tränckleín.

DIAPHORETICA proſunt, quando natura vitioſam hanc colluviem per inſenſibiles cutis poros profligare, ejusdemque reliquias in corporis centro adhuc hærentes, discutere & pedetentim exterminare nititur.

In hujus itaque ſubſidium â medicis trahuntur Unicornu; (de quo *Anton. Deuſing. in faſc. diſſert. p. m. 243. & ſeqq. & Bauſchius, in ſchediaſm. de unicorn. foſſil.* prolixiùs diſſerunt) lapis bezoard. (qui tamen ob ejus copiam, cùm hodiè ubique circumferatur, non immeritò quidem ſuſpectus eſt: *Dn. D. Joh. Chriſtoph. Ayrero*, Celſiſſimæ Onoldo-Brandenburgicæ Domûs Medico ſupremo, Conſiliario intimo, & Viro utrâque minervâ famigeratiſſimo &c. Dn. Patrono ac Promotori meo ſemper venerando, in ſubtiliſſima *συζυτήσῃ medica de morbo Ungarico, §. 40.*) lap. Armen. ▽ ſigil. &c. Hæmatitem ſublimatum pro inſigni diaphoretico habet *Bauſch. tr. de lap. hæmat. cap. 5. pag. m. 139.* Porrò hîc commendatur Rob. ſambuc. Juniperin. &c. pulv. bezoard. *Sennerti* &c. Arcan. card. bened. ⊖. C. C. volat. (de cujus fideliſſima hoc in morbo operatione evolvatur *D. Graba* in elegantiſſima ſua *elaphographia, cap. 8. ſect. 3. p. m. 139.*) ⊖ card. bened. ⊖ fraxin. ⊖ viper. volat. (de quo in ſpecie videri poteſt, *Bald. Angel. Abbat. de viper. natur. & facult. cap. 25. p. m. 106.*) &c. Liquor. ♀r. diaphoretic. c. ſucc. *D. Rhefeld.* ▽ tophor. C. C. ▽ theriacal. *Hartmann* &c. Mixtur. ſimpl. ſeu ♀ri compoſ. eſſent. ſudorif. antiſcorb. *D. Michael.* ♄n. cum C. C. aut flor. ſambuc. propinatus, theriacal. camphor. &c. Bezoard. ☉are, ☽are, ♃viale, ♂tiale, ☿iale, ♄ninum, ♀reum, minerale ſimpl. experientiſſimi *Dn. D. Præſidis.* ☉ potab. Angl. ♁ diaphoret. unicorn. ☉are. tinctura. corall. tinctura bezoard. *D. Michael.* pulv. & tinctura bezoard. confort. *Bauſchii in ſchediaſm. de unicorn. foſſil. p. m. 199.* annexô elegantiſſimo tractatulo *D. Fehr. de ſcorzonera.* Extr. bezoard. ☉are *Mynſicht.* Magiſter. de ſpin. viper. &c.

Ex his pro patientis natura variæ iterum concinnari poſſunt formulæ ad provocandum ſudorem, qui bis in qualibet ſeptimana repetendus erit, vel in lecto, vel in balneo, aut in Laconico, e.g.

℞. *rob. ſambuc.* ℥iv.
extr. theriacal. gr. iv.
pulv. bezoard. Senn. gr vj.
M. D. S.
Schwitzbißlein.

℞. *rob. juniperin.* ℥j.
bezoard. ☽*ar.*
♂*tial.* *ā gr.* v.
M. D. S. lein.
Vermiſchtes Schweißlatwerg.

℞. ⊖.

℞. ⊖ *volat. C. C. gr.* viij.
card. bened.
abſinth: ā gr. vj.
elæoſacch. cochlear. ℈j.
M. D. ad chartam. S.
Schweiß Saltz.

℞. ♁ *diaphoret.* ℈ß.
⊖ *viper. volat. gr.* vj.
fraxin. gr. iv.
☉ *potab. Angl. g.* ij.
M. D. S.
Schwitz Pülverlein.

℞. ▽ *card. bened.*
fumar. ā ℥iß.
⊖ *volat. lumbr. gr.* v.
bezoard. mineral. ſimpl. Dn. Præſid. gr. iij.
extr. bezoard. ☉*ar. gr.* ij.
M. D. S.
Köſtliches Schwitz-wäſſerlein.

℞. ▽ *tophor. C. C.* ℥ß.
flor. ſambuc. ℥iß.
eſſent. ſudorif. antiſcorb. Mich. ℈ß.
tinct. bezoard. ejusdem gr. vj.
corall. gr. iv.
M. D. S.
Schweißtränckleín.

DIURETICA præſcribuntur, ſi farrago hæc ſcorbutica per ureteres & vias urinarias diſcedere conatur.

Commendantur hunc in finem, radic. 5. aperient. maj. & min. &c. fol. dauc. Cret. umbellifer. ſaxat. virg. aur. &c. ſem. 4. calid. maj. & min. reſin. therebinth. cantharid. ſcarab. majal. &c. oculos 69. extollit *Sachſ. in gamarolog. libro 2. ſect. 2. cap. 6. p. m. 741. & 747.* Ægagropilos, die Gemſenſtein oder Gemſenkugeln/ (de quibus confer *Geſner. tract. de foſſil. f. 158. Nicol. Ager. apud Caſpar. Bauhin. tract. de lap. bezoard. cap. 13. Fab. Columm. part. 2. miner. cogn. ſtirp. cap. 19. & Joh. Schröder. libro 5. pharmac. med. chym. claſſ. 1. num. 10. &c.*) ad gr. xv. ex ▽ raphan. aut naſturt. cum ſerapio fumi terræ aut ſcolopendrii aſſumtos, comprobat *Georg. Hieron. Welſchius, in diſſert. de ægagrop. p. m. 52. & 60.* Prodeſt etiam ⊖ Juniperin. ononid. fabar. petroſel. ſuccin. volat. &c. oxymel. diuretic. *Joh. Quercet. in pharmac. ſpagyr. p. m. 41. cap. 3. ſect. 3.* ℴℴ baccar. Juniper. *Grüling.* ℴℴ ceræ &c. ⌒ & ♋ ⊕li, tinctura ſeu ♀ris ſeu ♀ri &c.

℞. ♋ ⊕*li gr.* vj.
⊖ *fabar.*
ononid. ā ℈ß.
elæoſacch. foënic. gr. iv.

℞. ⊖ *fix. è* ♋ *ſuccin. extr. gr.* xvj.
tinctur. ♁*ij precioſiſſ. Beguin. gr.* iv.
M. D.

M. D. ad chartam.
S.
Harntreibendes Saltze.

℞. *Julep. diuret. Hartmann.* ℥iv.
tinctur. ♀*r. gr* vj.
⊖ *ſuccin. volat. gr.* iv.
M. D. in fictili.
S.
Harntreibender Julep.

⊖ *juniper.*
petroſel. ā *gr.* iij.
fumar. gr. ij.
cer. g. ij.
M. D. S.
Reſolvir Saltz.

℞. ▽ *petroſel.*
ononid.
ſcolopendr. ā ℥j.
baccar. juniper. Grüling.
foënic. ā *g.* v.
M. D. in vaſculo conv. S.
Urintreibendes Tränckleïn.

CAPUT XIII.

De alterantibus univerſalibus.

RESTANT ultima ex pharmacevtico fonte adhuc deſumenda præſidia, ALTERANTIA nimirum, & CORROBORANTIA. Scorbutica enim hæc ſaburra principaliora viſcera, ventriculum, epar & lienem deturbat, eorundemque nativam temperiem ſatis acriter devaſtat: Proin' neceſſe etiam erit, omnem eò lapidem movere, ut viſcerum horum intemperies averruncetur, obſtructiones deobſtruantur, & omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur.

Utendum verò medicamentis non ſolùm manifeſtâ qualitate agentibus; ſed & illis, quæ occultam hanc labem occulta etiam vi oppugnare & profligare queunt. De prioribus hoc in capite ſoliciti erimus. De poſterioribus autem in ſubſequenti dicturi ſumus.

Conveniunt itaque *ventriculo*, ⊕li, ⊖ correct. conſerv. abſinth. roſar. rubr. ⊕lat. electuar. aromat. roſat. *Fernel.* pulv. Aaron. *Quercetan.* tragem. Aaron. ſtomach. *Birckmann.* magiſter.

giſter. abſinth. ⊖, tinctura calami aromat. ▽ ſeu balſamus ventriculi *Hartmanni*, in *prax. chymiatr. p. m. 171.* ▽ vitæ Imperatoris Friderici, ab *Jeronymo libro 3. art. deſtill. cap. 11. f. m. 225.* communicata. eſſent. abſinth. compoſ. *Magnif. D. Præſid.* elixir. vitæ *Bened. Vict. Faventin. medic. empir. libro 1. cap. 27. p. m. 95.* elixir. ⊕l. *Mynſicht.* elixir. propr. cum eſſent. abſinth. ſirup. de abſinth. tinctura aurant. cort.

Extra; ſacculus ſtomachalis *Cratonis*, ceratum ejusdem ſtomach. emplaſtr. ſtomachic. de tacamahac. *Monardi* apud *Schröderum* in *pharmacop. med. chym. libro 2. p. 201.* ☍ de abſinth. maſtichin. garyophyl. nuc. moſch. menth. criſp. juniper. &c.

CORDI, viſcerum omnium nobiliſſimo primogenitoque, ut vocat *D. Charleton, exercit. de ſanguific. §. 9. 7.* primariæ ac regiæ quaſi animæ ſedi, *Anton. Deuſing. exercit. de mot. animal. 3. de ſenſ. function. ſect. 1. §. 19. p. m. 224.* præſtantiſſimam præ cæteris refectionem exhibent lapidis ætitis pulvis, *Bauſch. tract. de hoc peculiari, cap. 5. p. m. 53.* conf. alchermes *Zwölferiana* in *pharmacop. reg. claſſ. 14.* deſcripta. acidum ♀r. cordiale *Zobelii*, chymici & auliatr. Holſat. Q. E. C. C. *Quercet. de med. ſpag. præpar. cap. 9. f. 107.* elixir vitæ *G. Riplei* in ſuo *viatico, p. m. 359.* item, Q. E. C. C. ſecundùm modum *Petr. Joh. Fab. libro 1. myrotech. ſpag. c. 29.* extracta. ▽ cordialis Saxonica, ▽ carfunculi aurea *Maximiliani* Imperatoris, ▽ citrata *B. Sennerti, inſtit. med. libro 5. part. 3. cap. 9. ſect. 3. pag. m. 1363.* extract. cordial. Noribergenſ. balſam. vitæ *Schröderi, pharmac. p. 143.* electuar. cordial. *Grüllingii. d. l. cap. 5. p. m. 257.* el. *Dorncreilii, antidotar. nov. titul. de electuar. p. 99.* eſſent. perlar. corall. ibr. &c.

Extrà; Linimentum ſalutis ex ☍ arboris vitæ *Döreri.* Unguentum cordiale *Meureri, D. S. Landgravii* epithemata & ſacculi è cordialibus compoſiti &c.

HEPATI proſunt rad. ſcorzoner. (de qua confer. *tractat. Febrii*) cuſcut. cichor. eryng. ſarſaparill. Chin. herb. agrimon. chamædr. &c. Polium montanum & piloſella à *Petro Bayro, in enchirid. de medend. hum. corp. mal. diſtinct. 12. tract. 1. cap. 3. p. m. 253 & cap. 5. pag. m. 264.* ferè omnibus præfertur. E compoſitis

anteceſ-

antecellunt electuar. diatr. ſantal. & diacroc. *Fernelii* el. de chalyb. *Ludov. Mercati.* el. de vino *Hollerii, 8. perioch. de compoſ. medic. ad libr. 8. pag. m. 55.* ſirup. tinctura & magiſter. corallior. tinctura ♂tis, tinctura ⊕li ♂ Zvvölferi. eſſentia ♂tis aperitiv. eſſent. ♂ corall. eſſ. ♂ cum ſucc. pomor. borsdorff. parata, *Dn. Drawitzii.* elixir. anticachet. *D. Cunrad. Frommanni.* ▽ vitæ *D. Jacob. Camerarii.* ▽ ex epat. vitul. aut lup. ♌ta. antidotus epatica maj. & min. *Quercetani.* ſirup. hepatic. *Riverii. libro 6. pr. med. cap 3. p. m. 191.* ſirup. ex chalybe *Ludov. Mercati, libro 4. de intemp. morb. curat. cap. 2.* deſcriptus &c.

Extra; Ceratum oëſypi, empl. ſantalin. melilot. *Fernelii.* Therebinthina cypria quovis modô præparata &c.

LIENI conferunt lingv. cervin. ceterach. panax chironium *Theophr. Ereſii, libro 9. hiſtor. plantar. cap. 12. p. m. 192.* pulv. cachet. *Hartmanni* ſeu *Quercetani;* pulv. aperitivus ſplenet. *D. Knöfelii:* pulv. mirabilis diacapp. ∴ *Hollerii d. l. pag. m. 59.* ſirup. de ſcolopendr. *Fernelii:* pilulæ de ammoniac. *Riverii.* Trochiſc. de cappar. eſſent. ſplenet. *D. Michaëlis;* tinctura ♂ aperit. *Mynſichii.* tinctura ♀r. ♁iat. vera *D. Möllenbroccii.* vinum chalybeat. extr. ſplenet. *D. Poſſelii.* extr. ſplen. bov. *D. Hartmanni;* elixir. ſplenet. *D. Timæi* von Güldenklee. electuar. de limatur. chalyb. *D. Elidæi.* item *Hercul. Saſſoniæ Patavini.* elect. dialacc. *Fernelii.* electuar. de cappar. *Plateárii de ſimpl. medic. cap. 8. de balſamis.* △ ſplenet. *Sennerti, Dorncreilii, D. Rolfincii, &c.*

Extra: Unguentum marciatum magnum *Nicol. Myrepſi,* quod communicavit *Leonh. Fuchſius libro 2. de compoſ. medicam. ſect. 15. p. m. 694. Valer. Cord. in diſpenſat. ſuo, p. m. 345.* ungv. ſplenet. *D. Cunr. Frommanni, D. Elidæi, D. Nymmani, D. Marc. Gatinaria* quod ex *Giringello* in ægrorum transtulit uſum, *in prax. medic. cap. 47. p. m. 196.* &c. ☍ ♀r. camphorat *D. Zobelii,* balſam. ſplenet. *Dn. D. Præſidis* empl. de ammoniac. *Fernel. conſil. 45. p. m 99. Antonii Chalmetei Vergeſaci, cap. 47. enchirid. chirurg. extern. & intern. morb. remed. p. m. 80.* empl. ſplenet. *D. Sennerti,* empl. de cicuta. *Fabr. Hildani centur. 1. obſ. 25. Horſtii libro 3. epiſt. 387.* &c.

Ita & ACIDULARUM uſus, imprimis Egranenſium,

nullatenùs

nullatenus poſtponendus, ſed potiùs ut ſingulare hoc in affectu præſidium, ac ingens DEI donum, recommendandus erit. Quanta enim ipſis virtus inſit corpus noſtrum alterandi, & virium tonum conſervandi, anguſtum paginæ hujus ſpatium minimè recenſere patitur. Vide *Joh. Rötenbecc. de ſcorb. cap. 5. Tabernæmont.* im Waſſerſchatz. *Reuſner. de ſcorb. exerc. 7. Ronſ. de magn. lien.*

Idem ſentiendum de Balneis aquæ dulcis fluviatilis, & thermis naturalibus. Humidis enim, frigidisq; ac diuturnis morbis ex *Archigenis* & *Antilli* vetuſtiſſimorum medicorum ſententia, ſtudent, intemperiem omnem corrigunt, dolores, laſſitudinesq; mulcent, & inquinamenta acriora ſub cute latentia exhauriunt. *Joh. Heurn. libro 1. meth. ad praxin, p. m. 7.*

Ex balneis commoderatis, ut *Galen. 1. de cauſ. pulſ. f. m. 572.* loquitur, *ſi quis eis opportunè utatur, videlicet, ubi defeſſi fuerimus, incalnerimus, refrigerati, reſiccati, nauſeâque affecti, aut inæquali intemperie fuerimus, aut denique evacuationem deſideraverimus, manifeſtè corpus juvatur. Nam corpori reſtituunt mediocritatem temperamenti, vires corrigunt, opportunum calorem augent, ac denique unà cum ſudoribus nonnihil flatuum diſcutiunt &c.*

Species hîc benè convenientes præſcripſit *Guil. Rondeletii libro de medicam. extern. pag. m. 138.* quare & iis hîc transferendis ſuperſedemus.

E thermis præ aliis convenient Zellenſes, Burckbernheimenſes, Rotenburgenſes ad Tubarim, & Carolinæ, de quibus in ſpecie videre licet *Fab. Sumerum*, qui peculiarem de iis conſcripſit libellum, lectu jucundum & utilem, *tract. 2. p. m. 73. 85. & ſeqq.* Sed inſerviendum eſt ſcenæ locoque, ac properandum ad ſpecifica.

CAPUT XIV.

De ſpecificis.

INter hæc primariò illa referuntur, quæ ob ſalis ſui ſubtilitatem, ſal craſſum & fixum reſolvere, ac ad volatiliſationem

 diſponere,

diſponere, atque occultâ quaſi qualitate ſcorbuticam hanc *κακοήθειαν* infringere valent. *Martin. Kerger. libro de fermentat. phyſico-medico. ſect. 2. cap. 8. pag. m. 151.* Imò tantæ conſiderationis exiſtunt, ut ea ſola totam aliquando curam expediverint.

Verumenimverò, cùm illorum plurima dentur, & ab authoribus, qui unquam literas hoc de affectu fecerunt, ad nauſeam usque relata ſient; potiora ſaltem, & principaliora hoc loco in medium ſiſtemus.

Ex his autem, & ſimplicibus equidem, primum ſibi locum vendicant cochlearia das Löffelkraut / (ob formam cochlearis, quam exhibet, ſic dicta, & â *Wiero in tract. de ſcorb. pag. m. 338.* ænea figurâ ad vivum delineata) atque ex ea præparata medicamenta, præcipuè verò ejusdem ſpiritus, absq; fermentatione, cum ſpir. frumenti aquoſo, (qualis eſt *Joh. Michaël. Fehr. practici Svinfurtenſis.*) deſtillatus.

Et profectò ineffabilis DEI providentia erga humanum genus hîc ſatis deprædicari nequit; quippe, quæ, noſtrum in uſum, tantam penetrabilem ac ſtupendam quaſi *δύναμιν*, huic herbulæ, omni ſanè metallo & gemmis precioſiori, condonavit, ut funeſtisſimi hujus hoſtis crudeles carnificinas annihilare poſſit. Imò, quod magis, ut, (ſi experientiſſimi Hildani rariſſimis obſervationibus & curationibus fidem tribuamus) nullo alio in loco, niſi in quo deteſtabile hoc contagium reſidet, aut reſidere ſatagit, plantari, transplantari ac educari queat. Evolvatur autor citatus.

Huic decantato remedio ſuccedunt alia, haut minùs nobilia. Trifolium ſcilicet ▽ticum, Waſſerklee / cujus ſingularem virtutem, præter morum Norvvegicam probavit anatomicorum phoënix, *Thom. Bartholinus, in epiſt. medic. centur. 4. epiſt. 14. pag. m. 53.* Anagallis ▽tica ſeu beccabunga, Bachpungen / Lemcke ꝛc. Siſymbrium five cardamina aliis; naſturtium ▽ticum, hortenſe, Indicum. Chelidonium minus, quod, ob ſpecificam in ſcorbuto efficaciam, officinis noſtris pharmaceuticis, Scharbocks Kraut dicitur, ſinap. ſpecies. ſerpentar. biſtorta, Natterkraut oder teutſcher Ingwer. Nummularia, herb. S. Barbar. ſemperviv.

telephion

Telephion Dioſcoridis,ſeu illecebr.vermicular.vel piper mural. Maurpfeffer/Katzenträublein/juxta *Euchar. Röslini herbar. part. 2. part. 2. cap. 8. f. m. 92.* Abſinthium teſte *Pamphil. Florembem. in collectan. de febrib. p. m. 88. & Fehr. in tract. de hiera picra, p. m. 128. 133.* ſua non caret laude; licet equidem ejus uſum nobis exoſum reddere ſtudeat *Laurent. Gryll. libro 2. de amaritud. cap. 6. p. m. 94.* Sambuci hoc in affectu vires clarius & prolixius oſtendit ejusdem anatomia â *Blochwizio* demonſtrata, & â *Dan. Beckero* in vernaculam noſtram translata, *cap. 3. p. m. 50. & ſeq. & cap. 23. p. m. 146. & ſeqv. &c.*

De quibus omnibus tamen & hoc in praxi notandum erit; Quod herbæ recentes majori & meliori cum fructu adhibeantur, quàm exiccatæ; quibus ſenſim ⊖ volatile exſpirat. Lege hac de re *Schröderi pharmacop. med. chym. libro 4. claſſ. 1. p. m. 110.* &c.

Porrò, ut ſpecifica recommendantur etiam chamæmori Moltebeer/baccæ Norvvegicæ â *Carolo Cluſio, libro 1. hiſtor. plantar. rar. cap. 15.* annotatæ. Raphanus ſive ruſticanus ac armoracia, Meerrettig dictus, quem & *Pancovius in herbario portatili pag. 127.* non ſine encomio his verbis, iſt inſonderheit gut wider den Scharbock/ allegat.

Idem hoc de ſummitatibus abietis ſive pini ſylveſtris judicat citatus author, *d. l. pag. 117.* inquiens: Das oberſte von den grünen Fichten gekocht/(ſchmeckt zwar nicht wohl) und getruncken/ iſt gut wider den Scharbock / inſonderheit / wenn man ſonſt bey einer Krigs-Armee nicht viel andere Mittel haben kan ꝛc.

Invictiſſima Svecorum natio hujus fecit periculum. Etenim, cùm ante aliquot annos magna bellicæ gloriæ cupiditate, & graviſſimis armorum motibus, Muſcovitarum t. t. hoſtilem exagitarent regionem, ex mala diætæ habita ratione, ſcorbutus eorundem caſtra ſequutus, ferè omnes conſumpſit. Decoctis autem his foliis in aqua communi aut cereviſia, atque ſic expotis, non tantùm deſperati reconvaluerunt, ſed & cæteri â contagio immunes & ſalvi redierunt. Videſis *florileg. Hippocr. Galen. chym. D. Grülingii, part. 20. cap. 1. p. m. 453.* Atque hæc de ſimplicibus.

Inter compoſita antecellunt pulvis antiſcorb. *Franc. Joël. in libro 2. pract. ſect. 3.* trochiſci ex ☍ lign. Heraclii conflati, quibus feliciter uſus eſt *Martin. Ruland. in curat. empir. centur. 7. curat. 91. pag. m. 212.* mixtur. antiſcorb. *Grülingii in curat dogmat. hermet. cap. 1. pag. m. 190.* ſucc. cochlear. *Albert. de ſcorb. §. 261.* ſucc. antiſcorb. *Quercetani* in *diæt. polyhiſtor. ſect. 2. cap. 1. p. m. 73.* ſirup. ſcelotyrb. *Foreſti.* potus antiſcorb. *Joh. Heurnii, libro. 2. meth. ad prax. cap. 10. p. m. 142.* De potione, quâ ruſtici in Friſia orientali utuntur evolve *Joh. Wier. libro de ſcorb.* electuar. Danicum è baccis camæmor. ▽ polychreſta ſcorbutica *Dn. D. Præſidis in libro 3. chim. in art. form. redact. ſect. 1. art. 2. cap. 20. p. m. 144.* ▽ ſcorbut. *Sennerti in inſtit. med. libro 5. part. 3. ſect. 3. cap. 5. p. m. 1364.* ▽ ſcorb. *Dorncreillij in diſpenſat. nov. p. 48.* ſive *Döringii, Minſingeri &c.* liquor hæmatitis, cum gummi ammoniaco in pilulas redactus, *Bauſchii, tr. de lap. hæmat. cap. 7. pag. m. 151.* ſpir. ⊖l. cum vino albo, ſive ▽ acetoſ. ad dies aliquot exhibitus, juxta *Angel. Salæ differt. de fundam.* ⁓ *⊖l. cap. 13. p. m. 57.* ⁓ ♀ri antiſcorb. *Drawitzii, ſect. 3. libro cit. pag. m. 159.* ⁓ ⊕ ritè præparatus, (quem ut unicum ac certum hoc in malo remedium deprædicat *Petræus in noſolog. part. 2. diſp. 38.*) ⁓ vitæ aureus *Martini Rulandi*, tinctura corall. vera; tinctura ☽æ; tinctura ♁ij vera & pretioſiſſima *Joh. Beguini*, â *Joh. Georg. Pelshofero in tyrocin. chim. libro 2. cap. 12. p. m. 272. & ſeqv.* communicata, tinctura ♀ri cum ⁓ cochlear. elixir. proprietat. (de quo *D. Chriſt. Lange P. P.* Lipſiæ quondam diſputationem habuit eruditiſſimam) cum ⁓ cochlear. & tincturâ aurant. mixtum; eſſentia abſinth. naſturt. fumar. citr. chamædr. & aliæ plures. ☍ calam. aromat. pro panacæa quaſi hoc in affectu commendat *Conradus â Conrad, in medulla ☍llat. p. 361.* ☍ maſtich. juxta *Joh. Erneſt. tract. de oleis deſtillatis.* ☍ de ♀re, bacc. juniper. &c.

Tandem, ut ſpecifica hæc tutò applicentur, hoc quoque monendum erit; ut cautè nimirum iisdem procedatur, & temperatè propinentur ægris. Aliàs enim magis afficientur decumbentes, quàm reficientur.

Digna obſervatu ſunt, quæ *Smollius* reliquit, dum ſcribit:

Vellem

Vellem hoc unicum obſervent medici, ut non excrucient æ-„ gros ſuos ſolis calidis remediis, ad ſcorbutum ſpecificis; ſed & „ latius ſtudium ſuum exerant & perpendant, num ſcorbu i„ conſtitutio omnino ſit frigida? num vitium ſit in nuda viſce-„ rum obſtructione? num aliquid ſangvineæ maſſæ & hepati tri-„ buendum cenſeant? &c. „

CAPUT XV.

De ſtomacaxia in ſpecie.

QUamvis equidem, ſublatâ antecedentibus his remediis cauſâ, ſeu morbo, ſponte ſua ceſſent etiam ſymptomata, ſeu morbi effectus. Nihilominùs tamen, cùm hæc præſertim in aliquali confirmato, ſævitiâ ſua ſatis fortiter ægrotos excrucient, eorundemque vires aliquando adeò proſternant ac convellant, ut fatente *Alberto d. l.* §. *309.* metus ſit, multò prius ipſos jugulatum iri, quàm ſit ſuccurſum morbo; aliquando verò in peculiares morbos abeant. Omninò neceſſe erit, ut iisdem in tempore obviam eatur, & ipſa curatio ad infringendam eorum vim dirigatur.

Quia verò horum ſymptomatum nimis multa ac varia dantur, eorundemque curatio â Practicis abundè notata eſt; de ſingulis in ſpecie hîc verba ſcribere, neque tempus, neque diſſertatio noſtra concedet; quippe, quæ hoc modò limites excederet, & in perfectum opus (quod alii tempori tamen, locoque reſervavimus) excreſceret. Interim, ne penitùs lateant, & æquo lectori in aliquo ſaltem ſatisfiat, potioris modò & ferè ſemper pathognomonici ſymptomatis, *Stomacaxiæ* ſcilicet, curam ſubjungemus.

Ad gingivarum igitur eroſionem, flacciditatem, putredinem, dentiumque vacillitatem, nigredinem, orisque abominabilem foëtorem, auxilii ferendi cauſâ concurrunt, (non neglectis tamen aliis hac in operâ præmittendis) medicamina abſtergentia,

gentia, putredini & gravi oris halitui reſiſtentia, adſtringentia & exſiccantia.

Præferunt hoc loco facem ſalvia, roriſmar. aquileg. roſ. rubr. balauſt. pentaphyl. tormentill. biſtort. nuc. moſch. cort. granat. prun. ſylveſtr. ſangv. dracon. myrrh. ○um, ⊕lum, lap. medicinal. &c. mell. roſat. ſucc. diamor. ſucc. cochlear. ſucc. nicotian. laudatur â *Foreſto libro 20. obſ. 12.* cortic. ratic. vit. ſylveſtr. cum melle mixt. ut & ▽ ſigillat. extolluntur â *Quil. Varignana in ſecret. medic. tract. 6. cap. 4. p. m. 18.* Omphacium à *Sachſio, in ampelograph. ſect. 5. cap. 1. pag. m. 91.* ✠ ſcyllitic. â *Solenandro ſect. 3. conſil. 23.* ✠ in quo mentha decocta eſt, â *Petr. Bayr. enchirid. de med. hum. corp. mal. tract. 2. diſtinct. 6. cap. 8. p. m. 152.* C. C. uſt. â *Jac. Sylvio, de compoſ. medic. libro 1. p. m. 183. D. Grabe, libro cit. cap. 9. p. 167.* Oculi 69. â *Sachſio in gamarolog. libro 2. ſect. 2. cap. 3. p. m. 660. 661.* ☍ nicotian. â *Joh. Chryſoſt. Magneno, exerc. 12. de tabacc. §. 2.* cinis tabac. â *Riverio tom. 2. prax. med. c. 2. pag. m. 161.* unguent. ex ▽ leg. â *Sal. Alberto l. c. theſ. 316.* liniment. *Fabri de morb.* ♀r. *p. 154.* ▽ de nicotian. â *Neandro in tabacolog. pag. 92.* Confert etiam ▽ cochlear. ſalv. naſturt. nummular. &c. Gargariſma *Nicol. Maſſæ, lib. de morb. Neapolitan. p. m. 182. Ronſei, de magn. lien. p. 53.* ſive *Wieri* ê cort. & fol. oxyacanth. in obſerv. de ſcorb. ſive *Remb. Dodonæi,* ex thym. hyſſop. roriſmar. *& cubeb. cap. 33. obſerv. medicinal. p. m. 81.*

Nec minoris pretii eſt illa aqua, quam deſcribit *Joh. Bapt. Porta*, ſolertiſſimus occultarum cauſarum indagator (ut eum extollit *Joh. Wier. de præſtig. dæmon. libro 2. cap 31. p. m. 231.*) *in magia naturali libro 8. cap. 5. p. m. 341.* ☍ & ⌒ ⊕li a. ♀ris cum melle roſaceo (ut vult *Andr. Cæſalpinus in ſpeculo art. med. libro 5. cap. 52. p. m. 417.*) permixtus, aut ▽ ſimplici temperatus, ne frequenti uſu gingivas erodat, laurum ferè omnibus præripit.

Elegans etiam eſt obſervatio, quam *Montanus conſil. 113.* de muliere quadam, *Maria Græca* Romæ appellata, quæ hoc ⊕li ☍ ſingulis diebus una aut altera guttulâ gingivas & dentes leniter fricando, uſa eſt, recenſet.

Pulvis *Haffenrefferi in noſodochio de affect. cutis, libro 4. cap. 2. p. m. 549.*

p. m. 549. *Petr. Andr. Matthioli, de morb. Gall. p. m. 51. Jac. Weckeri*, rerum naturalium ſcrutatoris acerrimi (ut appellitatur *in append. centuriar. ab Anton. Mizaldo. p. m. 234.*) *libro 5. de ſecret. p. m. 221.* dentifricium perfectum, & ▽ ♌lata ad dentes *Alexii Pedemontani, libro 4. de ſecret. p. m. 187. 190.* magnæ quoque virtutis & efficaciæ ſunt.

Ego ſequenti, quod non tantùm gingivarum putredini reſiſtit, & ♀rum ſeu materiam illam tophaceam dentibus accretam, diſſolvit; ſed & ipſos dentes firmat, eburneum iis colorem reſtituit, ac gratiſſimum ori odorem conciliat, utor:

℞ *ſilic. alb. tenuiſſ. calcin. pulveriſat.* ℥j.
pumic. præpt. ℥ß.
O uſt. ʒv.
C. C. uſt.
Oſſ. ſep. ā ʒiß.
corall. alb. ℈ij.
margarit. ℈j.
rad. irid. florent. ℥ij.
tormentill.
ariſtolog. rot. ā ʒiß.
biſtort. ʒij.
ſang. dracon. el. ʒij.
maſtich.
thur.
myrrh. ā ʒj.
cin. nicotian. ℈j.
⊖ ♀r. ℈ß.
moſch. opt. gr. vj.
☍ ⊕*l.*
lign. rhod. ♌*ll.* ā ℈ß.
M. l. a. ut F. pulvis ſubtiliſſimus.
D. in ſcatula S.
Köſtliches wohlriechendes Zahn-Pulver.

Hic monendum, quòd nonnulli ob ingentem putredinis ſorditiem corruptam partem, ne ſincera afficiatur, forficulâ amputare audeant.

Verùm, hic proceſſus planè legislatoris noſtri decreto, cui jamdudum fama in æternitatis templo trophæa erexit, repugnat. Etenim, cùm leniora ac palato gratiora dentur remedia, videre nequeo, quam ob cauſam fortiora iisdem præmittantur, & æger extremis his præſidiis ad animam usque excruciandus ſit.

Feliciſſimæ ſanè ac certiſſimæ operationis in hujusmodi ſordida putredine unguentum Ægyptiacum exiſtit; præſertim illud magiſtrale compoſitum, quod *Hildanus*, feliciſſimus ille Chirurgus, *tract. de gangr. & ſphac. cap. 13.* poſuit. Eadem vis adſcribitur etiã ✢ cum ⊖ communi mixto â *Rötenbeccio l.c.cpa.6.*&c.

Et licet, his uſurpatis, inſatiabilis hæc tygris ulteriùs furere, omnique carne dentes orbare, intenderet; minimè tamen ad extrema confugiendum erit. Nam, ſi mitiora adhuc adſunt, quæ proſunt, & curationem abſolvere queunt; quid quæſo opus eſt, gravioribus examinare patientem? Naturæ potiùs ſubveniat & ſuccurrat quilibet naturæ miniſter.

Hoc autem commodiſſimè fiet pulv. ſem. roſar. & calam. *Rotenb. loco cit.* vel balſamo illo *Riverii*, cujus virtutes maximè deprædicat *centur. 2. obſerv. 68. p.m. 184.* ſi pars denudata ſæpiùs in die eô inungatur.

Admirandæ quoque poteſtatis ſunt ▽ viridis *Hartmanni in prax. chimiatr. p. m. 110.* ▽ dentalis *Oſſwald. Gabelcoveri in prax. med. part. 1. p. m. 134.* ▽ camphorata *D. Godofr. Moëbii, p.m. in anatom. camphoræ, cap. 16. pag. m. 77.*

Fricari etiam poſſunt gingivæ, cum pulv. trochiſc. *Bertrucii in tract. 8. collect. art. medic. ſect. 1. p.m. 60.* ex arſenic. citr. & rub. calc. gall. alum. â præpto admoto præſervativo quodam, ne corroſivus & abſterſivus hic pulvis aduſtionem in circumjacentibus partibus inducat. Cautè enim cum ſublimato agendum, quia hôc ipsô non omnibus Corynthum adire licet; Vide ſi lubet *Horſtium d. l. cap. 9. §. 34.*

Lanam ſpecillo circumligatam & ferventi oleo immerſam, (ſi vitium depaſcendo quaſi ſerpat) gingivis toties admovere jubet, *Joh. Manardus in epiſt. medicin. libro 18. epiſt. 2. p. m. 505.* donec exæquentur, & partes circumſtantes albeſcant.

Idem

Idem faciet olivæ lignum in Ol. chalcitidis, (alii ⊕lum Romanum appellitant) intinctum, ſi cum eo loca exulcerata comburantur. Hoc enim, inquit prænominatus author, ignea,, quâdam vi malignitatem ulceris compeſcet, affluxum tollet,,, adſtrictoriâ verò ulcus coaleſcere faciet, & locum firmabit. ,,

Cæterùm, ne graveolens oris exſpiratio, dum in reliquis vitiis alterandis occupatus eſt medicus, adſtantibus, ipſisque decumbentibus nauſeam pariat, trochiſci, morſuli, rotulæ &c. gratum ſpiramen ac halitum redolentes, præſcribi poſſunt. e.g.

℞. *ambr. ver.* ℈j.
moſch. orient. ℈ß.
ſacchar. cand. albiſſ. in
▽ *roſar. fragrantiſſ. diſſol.* ℥jß.
-~ roſar. opt. ℈ß.
F. l. a. cum ſ. q. amyl. opt.
trochiſci moſchat.
D. in ſcatula.
S.
Köſtlich wohlriechende Bieſem-Küchlein.

℞. *rad. irid. florent.* ʒij.
ſpec. diamoſch. dulc.
diambr. el. ā ℈j.
ſacchar. albiſſ. in ▽ *roſar. odorifer. diſſolut.* ℥iv.
F. l. a. rotulæ, quæ aſperg. -~ roſar. opt. ℈j.
D. S.
Köſtlich wohlriechende Mund-Küchlein.

Ultimò & hoc circa hujus ſymptomatis curam animadvertendum; ut patiens materiam illam ſangvinolentam ac ſalſam, quæ ê gingivis erumpere ac profluere ſolet, nullatenùs in ore detineat, multò minùs deglutiat, ſed potiùs, ut inquinamentum corroſivum, continuò ejiciat & exſpuat, ne integras adhuc partes etiam inficere valeat. Atque hæc de ſtomacaxia breviſſimis dixiſſe ſufficiant.

Caput XVI.

De diæta.

Agmen claudit DIÆTA, quæ ſingulare & citiſſimum hoc in morbo adfert auxilium, & cujus neglecta ſtudioſa

obſervatione, licet medicamina ritè ac dextrè applicata ſient; patiens tamen redintegrationis ſpe omninò fruſtrabitur.

Diætam, juxta *Hippocr. 6. de morb popular. ſect. 8. p.m. 354. negligere vel perſpectam non habere, calamitatum multarum res eſt.* Et *Galenus 6. de ſanit. tuend.* ſcribit. *Omnibus communiter illud ſuaſum velim, præſertim, qui tametſi medicæ artis ſint ignari, cogitationem tamen habent exercitatam, ne veluti vulgus, ita ipſi quoque pecorum ritu victus ratione utantur: quin potius uſu explorent, quinam ipſis cibus & potus ſit noxius, quæ præterea quantaque mutatio.*

Hinc & *Mercurialis lib. 4. conſil. p. 148.* ê *Galeno* refert: nullum, quantumvis egregium remedii genus, ullas ægritudines ſuperare poſſe, niſi ea victus ratio illi conjungatur, quæ apta ſit ſua facultate affectuum vires perfringere. Et *Fuchſius inſtit. med. libro 1. ſect. 1. cap. 8.* expreſsè docet; Diætam potiſſimam medicinæ partem eſſe, ſine quâ reliquæ duæ partes, quæ curandis morbis præſunt, conſiſtere ſuoque munere fungi nequeunt. Quapropter eam qui obſervabit, piſce ſaniòr omninò erit.

Conſiſtit autem hæc ipſa diæta, docente *Sebaſt. Aquila de morb. Gall. cap. 3. Sennerto inſtit. med. libro 5. part. 2. ſect. 3. cap. 2.* in ſex rerum non naturalium legitima ac juſta obſervatione, nimirum aëris, motus & quietis, ſomni & vigiliarum, cibi & potus, excretorum & retentorum ac animi pathematum, ê quibus affectus noſter originem ſuam ſumpſit, & quarum etiam beneficiô præſervatio & curatio perfecta inſtitui ac abſolvi poteſt.

I. AER itaque ſit purus, lucidus, temperatè calidus, ac in omni parte contrarius illi, quem *cap. 5.* allegavimus. Atque ſi naturâ talis non detur, accenſis lignis & baccis juniperinis, rorismar. thur. maſtych. ſuccin. benzoin. aliisque odoriferis convenientibus corrigatur. In aëre enim, ut *Kenelmus Dygbi*, vir & natalium ſplendore illuſtris, & militari gloria inclytus, & rerum omnium uſu & cognitione ſupra mortalium pleroſque cumulatiſſimè ornatus, in *diſcurſu ſympathetico, p.m. 32.* ê *Coſmopolita* refert, occultus vitæ cibus eſt.

Caveat etiam æger, ne liberi Jovis aut Cynthiæ radiis ſeſe ex-

ſe ex-

ſe exponat, quippe, quibus ſpiritus corporis noſtri incraſſeſcunt, ſangvisque turbidior ac feculentior redditur, teſte *Unzero de nephrit. cap. 25.*

Quærat etiam loca & domicilia aliquatenus exaltata, & â malignis ac contagioſis exhalationibus & vaporibus remota. Humores enim craſſi & frigidi in loco etiam frigido & profundo inculcati pertinaciter adhærentes, non ita facilè concoquentur & expellentur, ut verè monuit *Joh. Baptiſt. Montan. in conſult. medic. cent. 1. conſ. 69. p. m. 541.*

Et eò reſpexerunt fortè Græci & Romani, cum ſacra fana Æſculapio, quem medicinæ Deum vocitabant, non intra, ſed extra urbis pomoëria locarentur, in loco arboribus conſito, ventis pervio, aquis irriguo, naturæ ſitu geniali, & aëris clementia ſalubri, ut oſtenderent, non ſolùm Æſculapii Numen vitalem inducere ſpiritum, ſed & ipſum locum, in quo eſſet, domum, tectum, parietes fore hominibus ſalutares. Vide *P. Franc. Mendoza viridar. utriusque erudit. profan. & ſacr. libro 6. p. m. 434.*

ASTRORUN PECULIAREM INFLUXUM piâ erga DEum devotione providè, præſertim ſi ab aliquo aſtrolgo, præmonitus ſit, declinet ac evitet, coëcosque animi impetus frænet. Nam non neceſſitant aſtra, ſed ſaltem inclinant, & ſapiens iis dominatur. Rectè

aſtra valent aliquid, plus pia vota valent! Et
aſtra regunt mundum, ſed regit aſtra Deus! Et,
aſtra Deo cedunt, precibus Deus ipſe piorum!

Vide *Ludov. Coël. Rhodigin. libro 10. lect. antiqv. cap. 20. f. m. 382. 388. Caſpar Peucerum de præcipuis divinationum generibus, pag. m. 687. & ſeqv. Joh. Sophron. Kotzak. de hæmorrhagia in libro 1. præfat. 2. p. m. 59. & ſeqv.* qui aliàs tamen *cap. 12. p. m. 320. & ſeqv.* ut *& libro 2. cap. 12. p. m. 681.* aſtrorum hanc influentiam ſimpliciter negat, eademque in ſigna temporum ſaltem â Creatore, quæ nos moneant agendorum vel negligendorum, deſtinata eſſe, putat.

II. MOTUS ſit moderatus, & non peccet, neque in exceſſu, neque in defectu, Sic enim naturale robur juxta *Galen.*

de cauſ. pulſiſ. f. m. 567. creſcet, omnesque corporis partes reviviſcent.

Convenit autem parvæ pilæ luſus, levis equitatio &c. De ambulatio in amoënos hortos, campos & ſylvulas, delicatiſſimis floſculis ac ſaluberrimis herbulis uberrimè exornatos; præprimis, ſi ea manè ad montes; veſperi vero ad rivulos laſcivo & ſaliente murmure fugientes, fiat; valdoperè commendatur â *Henr. Ranzovio libro de conſerv. valetud. cap. 9. p. m 37.*

QUIES in ſuis ſervetur limitibus. Neceſſe enim eſt, ut corpori exantlatis laboribus aliquam demus requiem, utpote, quæ ſola præſentiſſimum defatigati noſtri corpuſculi exiſtit remedium pariter ac ſolatium. Verè Poëta;

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis;
Immodicus contrà carpit utrumque labor.

III. SOMNUS, ſenſuum quies, *Joh. Crat. â Kraftheim, in iſagog. ad art. med. p. m. 143.* ſi ad ſeptem vel octo horas extenditur, omninò ſufficit. Meridianus, niſi conſuetudo hujus expoſtulat, fugiatur. Raro enim juſtam ſenectam acquirunt, qui ſic magnam diei partem perſternunt, & cum gliribus certant.

VIGILIÆ, quemadmodum, ſi præter modum tractentur, toti corporis ædificio ruinam minantur; ità ſi modicè, illud conſervant ac erigunt; ſint igitur mediocres; Nam

& dormire bonum & vigilare, ſed utraque quamvis
optima ſi fuerint, immoderata nocent.

IV. CIBUS & POTUS reſpiciunt quantitatem, qualitatem & utendi modum.

(*a.*) Ratione quantitatis notandum, ut ea ſit parca ac moderata, ne ventriculum aggravare, ejusdemque nativum calorem ad coctionem maximè neceſſarium, opprimere queat. Hinc ut conſilio utar *Joh. Baueri de Imola*, ob id ſurgendum eſt â menſa adhuc exiſtentibus reliquiis famis, Vide authorem prælaudatum *conſil. 10. p. m. 65.* Miſerabilior enim, comprobante *Seneca epiſt. libro 15. epiſt. 69. p. m. 233.* ex cruditatibus, quàm ex

fame

fame macies eſt. Eapropter tantum cibi potusque ingerendum erit, quantum ſtomachus facilè concoquere poſſit. Nam juxta Catonem *de moribus ad filium libro 4. p. m. 48.*

ἡ γὸ ἄγαν ἀπαύλη λυγρῆς νόσȣ αἴτιόν ἐςιν.
morbi cauſa mali nimia eſt quæcunque voluptas.

(β.) Ratione qualitatis eligantur cibi *εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι* qui bonum præbeant ſuccum, corporis vires reficiant ac facilè fermenteſcant. Corruptô enim qui utuntur alimento, in deteriùs ſe dant præcipites.

(γ.) Ratione modi utendi, ut ſecundum verſiculum
præmittat calidum frigidis, & mollia duris;
Scilicet! ut mollia, liquida ac levis coctionis eſculenta ſemper præmittantur tenacioribus ac concoctu difficilioribus cibis, ne fortè craſſa ac ♀rea humidis ac facilioribus viam impediant, ſicque obſtructiones atque alias cruditates pariant. Præterea, quivis exceſſus vel in cibando, vel in potando vitetur. Temperantiæ enim hujus merces, robur corporis & perfecta erit ſanitas.

Utile autem hoc in affectu nutrimentum dabunt panis triticeus vel ſiligineus, mediocriter fermentatus, & ſemine coriandri, cumini ac aniſi conditus, & in furno coctus. Nam *οἱ κρίβανῖται* ſecundum *Galenum τῶν ἄρτων ἀγαθὸν ἔδεσμα, in furno cocti panes cibus optimus.* Juſcula è carnibus bubulis vel gallinaceis parata, item hordeacea & avenacea ptiſana exquiſitè cocta &c.

Piſces approbantur *πετραῖοι*, lucii, ſalmones, percæ &c. *Rondeletii* cobites barbatulæ, Schmerlen / gobii barbatulæ, funduli Gründling / foxini *ἐγκρασίχολοι* Aelritzen / Steinbeiſſerlein / *ἐρυθρόφθαλμοι* Rothäuglein &c. paſſeres recentes, harengi novelli, quos referente *P. Neucranzio in diſſert. de harengo cap. 12. pag. m. 61.* Hollandi Selandique virgineos Maetgens Hering appellitant.

Inſuper magni quoque æſtimantur perdices, turdi, alaudæ ſive galeritæ, luſciniæ, phaſiani, gallinæ cohortales, capones, co-

lumbæ juvenes domeſticæ ac ſylveſtres &c. Confer *Gabr. Hammelberg. annot. in Apicii Cœlii de art. coquin. lib. cap. 3. 4. &c. p. m. 98. 99.*

Ova recentia, tremula ac mollia hîc etiam admittuntur.

E carnibus conceduntur agninæ, hædinæ & vitulinæ, uberrimo educatæ lacte, atque modò aſſatæ, modò raphano ruſticano, capparibus, limonibus, malis citriis, hyſſopo, thymo, ſalviâ, majoranâ, rorismarino, cumino, baccis juniperinis &c. conditæ. Cervinæ & leporinæ, juniorum nempe, etiam in deliciis eſſe poſſunt.

Non minoris conditionis ſunt embammata & intinctus ê cochlearia, naſturtio, rad. raphan. ruſtican. cappar. ſinap. &c. & aliis appropriatis ſpecificis, confecta.

E fructibus præferuntur poma citria, aurantia acida, borsdorffiana &c. pruna ungarica ſive damaſcena, & alia aromaticum ſaporem reddentia.

Ceraſa atro (uti deſcripſit *Joh. Bapt. Port. phytognom. libro 3. cap. 12. p. m. 168.*) cruore madentia, dum ſanguinem ab atra bile expurgant, & gratiorem cutis nitorem efficiunt, parcè tamen, conceduntur.

Lactis uſus, ſi eſt moderatus, (immoderatus enim gingivas & dentes afficit, teſtè *Paulo Ægineta libro 1. cap. 86. de ſimplic. p. m. 56.*) etiam non denegatur, imprimis caprini, ſi in eo candentes ſilices aut chalybs aliquoties extingvantur, illudque cum pauxillo ſacchari aut ſalis, ne coagulet, commiſceatur. Compleſſe miraculum ſui natura videri poteſt; quæ tot dotibus ad hunc morbum lac ex omni parte beaverit, inquit *Albert. d. l. §. 274.*

E POTULENTIS admitti poſſunt vina moderatâ quantitate πςὸς τὸ τὰς κεφαλὰς ὑγιεῖς ἔχειν, juxta *Athenæum*, darmit die Köpffe nicht ſchwer werden / tenuia, levia, ſuavia ac benè matura, in agris ſalubribus generata; qualia ſunt, Rhenana, Neccarina, Moſellana & Francica, quæ corda hominum lætificant, mentem exhilarant, ætatem floridam faciunt, coctionem juvant, ſtomachum roborant, obſtructiones tollunt, abigendis excrementis viam parant, urinam menſesque cient, ſomnum conciliant, frigida venena obtundunt, ſpiritus recreant, vim vitalem conſervant, flatus diſcutiunt, craſſos humores aliasq;

cruditates

cruditates corporis attenuant, incidunt, coqvunt, diſcutiunt &c. Vide *Deod. Panth. hygiaſt. libro 2. cap. 16. p. m. 139. Phil. Michael. Neveniani regimen diæta, p. m. 71. & ſeqv. Laur. Gryll. libro 1. de dulced. cap. 10. p. m. 57. 58. Qvid. Pancirell. part. 1. rer. deperd. tit. 25. p. m. 84.*

Luſitanica illa auſtera, nigra & adſtringentia, quæ recommendanda hoc in affectu putat *Neucranz. de purpur. cap. 20. p. 299.* vitentur. Obſtructiones enim validiſſimas procreant. Evolve *ampelograph. Sachſ. ſect. 6. membr. 2. cap. 6. p. m. 312. & cap. 8. art. 2. §. 2 p. m. 456. & ſeqv.*

Cereviſiæ ſint ex ▽ fluviatili, & hordeo optimè coctæ, lupulo conditæ, & benè defecatæ, ac benignâ vi alvum laxandi præditæ, quales ſunt, Naumburgenſes, Torgavienſes, Zerveſtanæ, Wetinenſes der Käuterling/Hamburgenſes &c.

Ex his quoque confici poſſunt potiones medicatæ variæ, ex abſinth. card. bened. ſcolopendr. veronic. zedoar. paratæ. Κάλλιον ἐστιν ἀψινθίου, inquit *celeberrimus Græcorum ſcriptor Aretæus, tetr. 3. ſect. 1. cap. 25.* Τὸ ἀπόβρεγμα πρὸς τῶν πότων λαμβάνειν, πάντων γὰρ ἐστιν ἀκραιπαλώτατον, *optimum eſt aliis potionibus abſinthii dilutum præmittere; id enim omnium caput minimè vaporibus implet.*

Hydropotis in uſu eſſe queunt aquæ puræ, claræ, coëleſtes & fluviatiles, antiſcorbuticis alexipharmacis decoctæ, & per chartam bibulam aut linteum filtratæ.

Pauperibus ▽ ſola chalybeata ſufficiet. Vide *Celſ. libro 4. cap. 9. p. m. 113. Anton. Beniven. libro de abd. morb. cauſ. cap. 105. p. m. 112. Scribon. Larg. de compoſ. medic. comp. 132. p. m. 96.*

V. EXCRETA & RETENTA ſi exactè voto reſpondent, multum ſanitati conducent. Hæmorrhoidum itaque & mulierum menſtrui ſanguinis ſcaturigines, nunquam, niſi aliud indicans prohibeat, occludantur. Alvus teneatur aperta, ut quotidie pro cibi aſſumpti modo bis vel ter ſuum exequi poſſit perfectè officium. Hoc enim atteſtante *Hippocr. libro prænot. p. m. 403.* naturæ conſentaneum eſt.

Honeſta quædam foëmina, recenſet *Phil. Salmuth. in obſervat. poſthum. 3. obſ. 78. pag. m. 149.* ſcorbutica aliàs, in deliquium animi incidit, quod cùm dimidiam ferè horam duraret, mortua „ putatur,

„ putatur,& extra lectum deponitur. Verùm,dum ità moverur, „ rurſùs reſpirare incipit. Adſtantes igitur,poſtquam recreatio- „ ni per conſveta,ſtudent,alvus ſponte ſolvitur, & foëtidiſſima „ dejicit. Hinc illa ſtatim ſeſe recolligit, & quaſi reviviſcit. Digna ſanè obſervatu hiſtoria!

Veneris exercitium ſit temperatum, ac cum illibatâ Glycerio celebratum. An verò, ſicut *Henr. Petræus in noſolog. harmon. p. 288.* à Danis fide dignis refert, ſola venus hujus mali exoptatiſſimum exiſtere poſſit remedium? meritò dubitamus. Interim baſiatores ſuos, ut cum *Scalig. libro 6. de re poët. cap. 4.* loquar, deformes veneris buccæ habeant. Nobis, caſtiſſimi illius juvenis, cùm intelligeret; non licere ſibi ſanitatis templum introire, niſi prius veneris ingreſſus eſſet ædem, verba placent;

Abſcedant veneres, cupidinesque,
non eſt vivere, nec valere, tales
mortem evadere per medelas.
Vin', ne qua moriar, VENUS, mederi?
Malo, ne medearis, emoriri!

Eleganter ſanè! Momentaneum enim eſt, quod hîc delectat, æternum autem, quod illîc cruciabit. Roſas venus ore, ſed fauce mephitim ſpirat. Caveſis ergò, ne pro Jaſmino beatitatis æternique gaudii, napellum æternæ damnationis redimas.

VI. ANIMI PATHEMATA, ob repentinam, (ut *Joſ. Quercetan. in peſt. alexicac. libro 2. cap. 1. p. m. 239.* differit,) ſpirituum commotionem, rationis ſubſint regimini. Magna enim corporis & animi ſympathia. Hinc qui ſuos moderare ſcit affectus, tutior erit ab omni contagio corpori noxio, quàm qui affectibus liberam dabit intus tumultuandi licentiam. *Kotzak. de hæmorrh. libro 1. cap. 3. p. m. 120.* Vitentur ergò mœſtitia, timor, zelotypia &c. Etenim

ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὅμοιοι
οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι.
Spesque timorque pares mortales inter, & iidem
infeſtant animos, numen utrumque grave!

Com.

om. Natal. in mytholog. libro 9. præfat. ex Theogn. p. m. 945.

Detur autem opera gaudio moderato, jucundis converſationibus, & aliis licitis hilaritatibus, quarum ope ſpiracula in cute extantia, reſerari, vitioſaque colluvies expelli poſſit.

Proficuum etiam erit, quandoque ſuavibus intereſſe modulationibus & concentui ſymphoniaco, quæ graves animi paſſiones leniſſime demulcebunt. Nam non obiter ὁ πυθαγόρας ὑπελάμβανε καὶ τὴν Μουσικὴν μεγάλα συμβάλλεσθαι πρὸς ὑγείαν, ἄν τις αὐτῇ χρῆται κατὰ τοὺς προσήκοντας τρόπους, *Pythagoras exiſtimabat, & Muſicam multum conferre ad ſanitatem, ſi quis ea, quomodo convenit, utatur*, ſed potius reapſe expertus eſt. Hinc & alio loco inquit, ὥσπερ ἡ Μουσικὴ μεγάλα συμβάλλει πρὸς ὑγίειαν, οὕτω καὶ πολλὰ τῶν περὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύει. *Ut Muſica multum confert ſanitati, ita & multis animi & corporis affectibus medetur.* Confer *Jamblich. in vita Pythagor. cap. 28.* Unde & *Marſ. Ficino*, ſub Mercurii perſona loquenti, laborum ſolamen, & diuturnæ vitæ pignus, dicitur, *libro 2. de vita producenda, cap. 15. p. m. 100.* Vide & inſuper *Guid. Panciroll. part. 1. rer. deperd. tit. 39. p. m. 131. & tit. 34. p. m. 284.*

Hiſce igitur è triplici fonte petitis auxiliis applicatis & obſervatis fine ſuo non fruſtrabitur patiens: præſertim, ſi iis, intermiſceat præſtantiſſimam illam Rolfincianam confectionem cordialem, univerſalem, *cap. 6. libro 13. ord. & meth. med. ſpecial. comment. pag. m. 951.* deſcriptam, ſicque ſupplici corde & verecundo modeſtæ orationis conatu JEHOVÆ, qui vulnerat & ſanat, vitæ ac mortis poteſtatem habet, *16. ſapient. libro verſ. 12. 13.* atque ſic ſolius miſericordis & omnipotentis Auxiliatoris in omni infortunio, *Sam. Sturm. in diſcurſ. de medicis non-medicis §. 38. p. m. 11.* ineffabilem gratiam ac largiſſimam clementiam ſibi propriam faciat, *Brun. Seidel. de morb. incurabil. p. m. 26. & 126. 127.* Alias enim,

ni Deus adfuerit, viresq; infuderit herbis,
quid rogo DICTAMNUS, *quid* PANACAEA *juvent.*

Atque hæc ſunt Lector humaniſſime, quæ de truculentiſ-

N ſimo

ſimo ac tædioſiſſimo hoc affectu, SCORBUTO, anguſto hoc in tempore, anguſtis his pagellis volante ac fritinniente quaſi calamo libuit inſerere. Si placebunt gratum erit; ſi diſplicebunt, me hominem, quorum errare proprium, fuiſſe recordaberis. Nunc

anchora de prorâ jacitur, ſtant littore puppes.

DEO meo Ter Opt. Ter maxumo, cujus auſpicio & explicavimus & collegimus vela, ſit pro felici ac exoptato ſtudiorum horum progreſſu, votivæ tabulæ affixæ locô

LAUS HONOR ET GLORIA.

COROLLARIA.

AN ſerpentum incantatio naturali verborum poteſtate fiat? N.

An lactis profluvium è S. Pauli decollati collo, ejusdemque trina invocatio ac pronunciatio clara nominis ſanctiſſimi JESU, amputatô jamjam ipſius capite, (ut acta ſanctorum, Nerei & Achillei, Annalesque Eccleſiaſtici referunt) naturale potuerit eſſe? A.

An foeminæ plures habeant coſtas Viris? N.

An hymenis præſentia, & linteaminum à coitu cruentatio ad certam virginitatis notam ac probam ſemper ſufficiant? N.

An ſemper verum axioma: Lac habet, ergò cum viro rem habuit? N.

An

An nuptæ poſſint ligari? A.
An ſuaveolentia in ſuffocatione uterina matricis orificio impoſita, proſint; graveolentia verò noceant? A.
An foemina absque utero vivere poſſit? A.
An detur aliqualis medicina, quæ omnibus omninò morbis medeatur? N.
An detur remedium in peſtilentia proprium & verè ſpecificum? N.
An peſtis tempore venam ſecare liceat? N.
An in peſte proſint purgationes validæ? N.
An vulnera umbilicalia per ſe ſint lethalia? N.
An ſangvis humanus è decollatis hauſtus ad epilepſiam conducat? N.
An ex urina omnes omninò morbi, omnium partium affectus, ſexus & cognati, mulierumque prægnatio verè cognoſci, dignoſci, ac prædici poſſint? N.
An Chimiæ beneficio (ut *Paracelſus de vit. long. libro 3. cap. 4. f. m. 849. & in fragment. ad hunc libr. f. m. 860. & libro de generat. rer. natural. 1. f. m.* 882. 883. tradit,) homunculus, quem Necromantici Alreonam appellant, generari ac produci poſſit? N.

ARtis Poeoniæ ſacrata proles
LOELI, præcipuum mihi videris
attigiſſe ſcopum, tuis ſubinde
quæ tractas, ſtudiis locare nomen,
quod nec invidioſa mordet aura
vulgi, poſtera nec rapit vetuſtas.
Felicem fore NOS precamur omnes
praxin, quam TIBI TE peritâ
manu conciliaſſe profitemur,
gratam principibus, tuisque claram!

Clariſſimo DN. DOCTORANDO animitùs gratulatur hoc de inaugurali ſpecimine publico

JOH. THEODORUS SCHENCK,
Med. D. P.P. h.t. Academiæ RECTOR.

CLARISSIMO

DN. JOH. LAURENTIO LOELIO,
rerum medicarum peritiſſimo, earumq;
Candidato digniſſimo

Pro LICENTIA ſummos in arte medicinali capeſſendi HONORES publicam adſcendenti cathedram

FELICITER!
adclamat

GUER-

GUERNERUS ROLFINCIUS, PHIL. ET MED. D. PRACT. ET CHIM. P. P. ACADEMIÆ SENIOR.

AMBIT HONOS VIRTUTEM. Huic tempora civica quercus
cingit, & obſeſſis graminis herba locis:
Huic murale decus, vallique inſigne recluſi,
roſtraque devictis aurea navigiis.
Quæ verò Præclare, tuum celeberrime myſta
artis Apollineæ, digna corona caput
ambiet? à teneris Muſarum caſtra ſequutus
haud unâ clarus gymnade victor ovas. (tus
Docta TIBI mens eſt, comes eſt Prudentia, Vir-
intemerata tuis emicat ex oculis.
TE Charis ingenuis decoravit moribus: altâ
indole & eloquio floridiore nites.
Publica nunc etiam conſcendis pulpita fauſtis
auſpiciis; morbo deque gravi loqueris,
in lucemque ediſſeris, arroſos ſapere ungues
quæ poſſunt dici. Præmia non deerunt.
Surgit HONOS, VIRTUTEM AMBIT: tua tempora LAURUS
cinget, quam facili porgit Apollo manu.
Hic TIBI creſcat HONOS, viridans hæc LAUREA creſcat,
immarceſcibili floreat usque comâ!

SIC iterum, LOELI, divulgas, CLARE, politi
& genii magnos ingeniique notas;
Dum, quæ conveniat ſceletyrbe cura, recenſes,
undeque cauſarum pullulat hæcce lues.
Ecce Machaoniæ hinc virtutis adorea ſurgit,
ſolamen miſeris, palmaque diva TIBI!

Nobiliſſimi DN. DOCTORANDI promeritis honoribus ex animo applaudit

JOHANN. ARNOLDUS FRIDERICI,
Phil. & Med. D.P.P. p. t. DECANUS.

ARs Medicina ſacra eſt; quis Iapis? & ille Machaon?
Apius? & Chiron? Celſus, & Hippocrates?
Sunt clari ſacrique Viri, ſuper æthera noti,
delubris quondam numina culta ſuis.
Ars Medicina Ducum eſt, Regumque; Tris-ille-megiſtus?
quis Sabiel? Meſues? Regia Triga Virûm:
Ars Medicina Deûm eſt; quis Apollo, quis ille Trochiſcus
Juppiter? Hos Latium credidit eſſe Deos
Hos Divos Regesque Deosque recollige cunctos,
artis erant medicæ perſtudioſa cohors.
Æmula noſtra ætas, Phoebi deditiſſima cultrix,
quot quantosque Viros ex Medicis celebrat.
Italiam taceam, tua nomina, Galle, ſilebo,
Nec nunc attingam, magne Britanne, tuos:
Nempe, *Academiæ, Collegia Regia veſtra*,
ut fructu clarent; ſic quoque nomen habent.
Atque ita *Doctorum* Vos narrat *Ephemeris*, addunt
experimentorum tot ſimulacra fidem.
Sed nec poſterior conamine *Francis* Eoa
extruxit *Phyſicæ Curiam*, eamque colit.

Hic

Hic opus, hîc labor eſt: hinc *Phoſphorus*, *Heſperus* ardet;
Archo-que-nauta ſuam *Præſidis* addit opem.
Collige tu reliquos, qui ſunt Academica membra
SWINFURTI, Medicûm nomina magna leges.
Adde aliunde pares alios: ROLFINCIUS inter
Sidereas faculas has quaſi Luna micat.
Ergo Viris tantis fac ut, *Clariſſime* LOELI,
mox magnis meritis adnumerére tuis.
Non TE bis ternis Lunis, *Hippocratis* artem
Theſſalus edocuit Doctor is ἡμέτερος.
Septima ſtat duris hæc jam meſſoribus æſtas,
ex quo Leucoreas viſimus ambo ſcholas.
Inde TIBI curæ *Paracelſi* & ſecta *Galeni*,
& dogma, & methodos, docta reperta Sophûm.
Iſthic colloquio pacto bis prælia doctis
feciſti, rurſus nunc nova bella cies.
Atque ita poſt totidem conflictus præmia captas,
& facis ut capiti Laurea ſerpat ovans.
Gratulor! Eveniat TIBI mi *chariſſime* LOELI,
Quod *Naſo* de medico carmine dulcè canit:
Quem ſemel excepit nunquam *Podalirius* ægro
promiſſam medicæ non tulit artis opem.
Det Deus! ut felix fias *Podalirius* arte,
& quæſtum tenuem tu *Libitina* pares!

Nobiliſſimo
DN. *JOHANNI LAURENTIO LOELIO*, MEDICINÆ DOCTORANDO, *Amico ſuo neceſſitudinis, convictus, hoſpitii amoris denique ac fidei intemeratæ jure conjunctiſſimo, honoratiſſimo*
gratulabundus apponere voluit
M. Johannes Chriſtophorus Schweigger/
Onoldô Francus.

Bis

BIs Tibi gratatus noſtro ſum carmine, Loeli,
dum tua ſat doctis ſuada probata fuit.
Non eſt, è cathedrâ, cujusvis, fundere verba,
& Medicis operâ poſſe placere ſuâ.
Hancce Tibi tribuit laudem Witeberga celebris;
Hanc Tibi nec Jenam poſſe negare ſcio.
Nam ſatis eſt locuples præclara Licentia teſtis,
quâ licet in ſummo, ſi libet, eſſe gradu.
Hanc Tibi non fictô congrator Amicus amore,
quam peperit virtus, aſſiduusque labor.
Sit Decus hoc fauſtum! ſit terque quaterque ſuave!
Tertium id ex animo noſtra Thalia fovet!

Ita
famæ & honori
NOBILISS. DN. DOCTORANDI,
amici ſui integerrimi, ac Conſalini quondam
exoptatisſimi, gratulaturus ſcribebat
WITEBERGÆ

Johannes Jacobus Lindner/
Notar. Publ.